GEOGRAPHIA GENERALIS

Sive

DESCRIPTIO GLOBI TERRAQUEI

Secundum tres â Geographis receptas Divisiones, Mathematicam scilicet, Naturalem s. Physicam, & Politicam, quibus præmissa sunt quædam Geographiæ Præcognita.

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICÆ CONSENSU

exhibet

JOHANNES CHRISTOPHORUS KNAUS.

TUBINGÆ
apud CAROL. THEOPH. EBERTUM
1732.



SERENISSIMO atque POTENTISSIMO PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO,

EBERHARDO LUDOVICO,

DUCI WURTEMBERGIÆ

atque

TECCIÆ,

COMITI MONTISPELIGARDI, DYNASTÆ IN HEIDENHEIM;

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS SACRI ROMANI IMPERII, CIRCULI item SUEVICI

GENERALI CAMPI MARESCHALLO EQUESTRIS ac PEDESTRIS LEGIONIS CHILIARCHAE.

&c. &c. &c.

PATRIÆ PATRI OPTIMO

HEROI PIO, FELICI, MAGNO,

PRINCIPI ac NUTRITIO MEO LONGE CLEMENTISSIMO

Summum DEi Favorem, Vitam maxime Vitalem & exoptatam, Rem usque quaque fortunatissimam.

SERENISSIME ac PO-
TENTISSIME

PRINCEPS,

DOMINE CLEMEN-
TISSIME!

IGnoſcas oro atque obſecro, CELSISSIME PRINCEPS, adulta Virtute HEROS! quod eo temeritatis dicam, an audaciæ? ſum prolapſus, ut TUUM Celſiſſimum NOMEN primis hujus Libelli paginis mandare non erubuerim.

Pietas audacem esse jubet; cumque tot ac tanta â TE, PRINCEPS CLEMENTISSIME! collata sint in me Beneficia, ut de præcipuo gloriari queam favore, malui proposito utrinque periculo, in eam peccare partem, quæ mihi videbatur tutior, & temeritatis potius subire suspicionem, quam ingrati animi turpem mihi attrahere ignominiam; præsertim cum insignis Favor & Paternus Amor TUUS erga quosvis Patriæ Cives id abunde sperare jubeant â TE, imo longus jam cogat usus nos esse certos, TE non rerum

gra-

gravitate, ſed Alumnorum TUORUM tenera animi propenſione grates quascunque ſolere metiri.

Ad Pedes igitur TUOS, EBERHARDE LUDOVICE, Princeps Celſisſime! ad Pedes, inquam, TUOS provolutus adſum, eo, quo decet, animo, TE ſuſpiciente, TE venerante, TE PATRIÆ PATREM, colente, animo, ut verum fatear, timido atque trepido, ut mihi nec color conſtet nec vultus; aſt tamen & animo, qui grates pietatis plenas, TIBI CLEMENTISSIME PRINCEPS! forſan inſoli-

tas,

tas, mihi verò diu atque ſemper cogitatas affert. Suſcepiſti nimirum me in ſedes mihi jucundisſimas, Cœnobia puto, loca veneranda, mihi dilecta, in quibus etiam hoc, qualecũque ſit, natum eſſe ſciunt ii, quos venerari, quibus obedire & obtemperare TUA me jusſit Voluntas; ſuſceptum aluiſti, amictum præbuiſti, non ut Princeps Civem, ſed ut Parens Amantisſimus me habuiſti filium. Ita largiter expertus ſum & adhuc experior, quantus in TE ſit amor, quantumque ſtudium

con-

conſervandi Scholas benè ac recte â Majoribus inſtitutas. Scilicet nequaquam TE fugit ac fugere poteſt, quantum inde ſalutis, quantum adjumenti proficiſcatur in Rempublicam, cujus fulcra ſcholas eſſe præclare dixit, quicunque dixit. DEUM oro & imploro, & id mecum omnes, qui recte ſentiunt, unanimi voce contendunt, velit nobis ſemper ſervare Principes, quorum inuſitata & ſingularis ſapientia, & aſsiduà pietas, & in tuenda Religione verâ mirà fortitudo

 hono-

honori queat esse divino Numini, exteris exemplo, Civibus autem Patriæ gaudio atque emolumento; Velit, inquam, tales nobis darę Principes, quales semper dedit, quibus nihil prius fuit, nihil antiquius, quam ut Scholæ floreant, â quarũ flore ac vigore salus & Reipublicæ pendet & Ecclesiæ; uno complectar verbo: DEum precor, velit nobis semper dare Principes TIBI similes. Tot enim Cœnobia, magnis semper sumtibus sustentata, quid aliud declarant, quam adesse Principem salutis publi-

li-

licæ Amantisſimum, gloriæ divinæ Studioſisſimum? Cumque tales Muſarum ſedes nunquam diminueris, ſed auxeris potius, multisque ſubinde beneficiis exornaveris, facile conſtat, TE non ſola hæreditate relictum â MAJORIBUS TUIS generoſisſimis talem posſidere mentis ardorem, ſed penitus inſitum in Animo TUO & innatum eſſe, ut, ſi per ætatem videre potuiſſes, quantum MAJORES TUI Laudatisſimi de Scholarum incremento laboraverint, quãtas de Cœnobiis ſuſceperint curas, quantam in iis tuendis

dis atque conſervandis adhibuerint diligentiam atque vigilantiam, profecto, ſicut Alexander olim de Parentis ſui, ita TU de TUORUM MAJORUM Virtute conqueſtus eſſes, cum TUÆ Virtuti nullam relinqui materiam TIBI perſuaſiſſes. Sed non neceſſe eſt, ut longinqua revolvam, qui præſentia ſatis digne mirari non poſſum. TE, PRINCEPS CELSISSIME, omnibus Virtutibus Condecoratisſime! TE intueor, TE, quantum poſſum admiror; In TE uno comprehenduntur omnia, quæ in ſingulis veneramur ſingu-

la.

la. Vellem, si in meis esset viribus, TIBI ponere monumentum

--- ære perennius
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo præpotens
Possit diruere, aut innummerabilis
Annorum series & fuga temporum.

Sed satis habeat Terrarum Orbis & futura secula, ea mirari posse gloriæ TUÆ monumenta, quæ TUA Virtus ipsa ponit, frequentissima; mihi non nisi debitam TIBI ita significare licet pietatem. TE Veneror, TE precor immortalem, TE talem semper exopto, qualem TE semper præbuisti, me talem TIBI spondeo, qualem me voluisti, imo talem, qualem me semper præbui, & qualem me dum vivam præbiturus sum, ad quævis obse-

obſequia, ad quævis ſervitia TI-
BI, PRINCEPS CLE-
MENTISSIME! paratiſſi-
mum, &


SERENITATIS
TUÆ


Servum Subjectiſſimum,
Johannem Chriſtophorum
Knauſium.

PRÆFATIO
Lectori Benevolo Salutem & Officia.

Biennium est & quod excurrit, ex quo Universam Geographiam latino idiomate conscripsi, non ea mente, ut publicam aspiceret lucem, verum ut privato usui, meo inprimis & aliorum, quibus familiariter utor, inserviret, cum latino sermone confectam hujus ætatis Geographiam legendi facultas nullibi fuerit data. Accidit autem nescio qui, ut jam in conspectu appareat publico prima & ea quidem exigua ejus pars, quæ maxime agit de Globo. Non postulo, ut in arce ponatur, quasi illa Minerva Phidiæ; hoc tamen inprimis monere volui: In omnibus omnino disciplinis nihil potest esse magis utile, nihil magis commodum docentibus æque ac discentibus, quam ut extent disciplinarum Sceleta, id est, tales libri, in quibus summa disciplinæ capita breviter ac succincte tradantur, ita ut à quolibet nexus totius disciplinæ facile possit perspici ac intelligi uno quasi intuitu, quid sibi velit qualibet disciplina, & ad quem tandem finem omnia sint perducenda? Quæ cum ita sint neminem fore credo, cui non probetur hoc consilium, quo in tertia Divisione, Politica scilicet, summa Geogra-

graphiæ universæ capita ita distincte exhibui, qualia forsan rerum Geographicarum gnari desiderare potuerunt. Præmissa sunt quædam Præcognita Geographiæ, qualia hinc inde colligere licuit, scitu credo non indigna; continent illa quandam Geographiæ Historiam auctoresque Geographicos. Qui plura ejusmodi legere cupit, potest evolvere libros in præcognitis nominatos & inprimis etiam Librum JOANNIS GEORGII LIEBKNECHTI, *quem edidit anno* 1712. *in quo traduntur Elementa Geographiæ Generalis, triplici [illegible]tione exposita I. Præliminaris est, quæ naturam & constitutionem, itemque studii Geographici fata monstrat. II. Doctrinalis. III. Artificialis. Hæc sunt, quæ præfationis loco maxime dicta volui. Ceterum Vale Lector Candide! Et, si quem usum ex hocce libello capi posse putas, cape, ego Tibi illum felicem precor, iterum Vale! Dabam Tubingæ in Mus. August. Ipsis Kal. Febr.* CIↃ IↃCCXXII.





PRAECOGNITA GEOGRAPHIAE.

HOmerus Græcorum Poëtarum Princeps, cujus temporibus Geographiæ infantia fuiſſe dicitur, in eo inter alia quoque argumento ſuum exercere voluit ingenium, ut quôdam carmine bellantes fecerit mures; & pariter Poëtarum Latinorum princeps Virgilius eo affecit honore Culices, ut adhuc quoddam de iis ſuperſtes legi poſſit carmen; quin etiam Ovidius integrum conficere poëma de Pulice nullus dubitavit. Lucianus muſcas, Melanchton, Agrippa & plures inſuper alii Aſinos non tam indignos judicarunt, ut non etiam aliquid publicis de iis mandarent litteris. Iſocrates Buſiridem Tyrannum crudeliſſimum laudare deſtinato inſtituit conſilio, quem in Neronis immanitate laudanda imitatus eſt Cardanus. Plato autem atque Carneades non erubuerunt injuſtitiam in virtutum quaſi referre numerum & ejus prædicare

laudes. Alius parasitorum mores sibi laudandos proposuit; alius iterum stultitiæ partes defendendas suscepit; febrim alius, alius alium laudare connisus est morbum; alius in umbra, alius autem in Hyeme celebranda suam ostendere voluit eloquentiam. In talibus autem argumentis suum insumere tempus, quid aliud est, quam aut aperte ludificari, aut alios ridere, aut etiam suas ostentare vires atque facundiam, quæ vel ex rebus alias contemmendis non solum, & pro nihilo habendis, verum etiam detestandis atque vituperandis laudem aliquam consequi queat, ostendendo verum esse, quod eloquentiæ Romanæ pater Cicero dicit: *nihil esse tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil esse tam horridum & incultum, quod non splendescat oratione & tanquam excolatur.* Ego si nunc Geographiæ partes defendendas, laudandas atque prædicandas susciperem non in simili argumento meum posuisse laborem alios credo judicaturos; æque ac mihi curandum non esset unde meas desumerem rationes & argumenta, quibus aliis persuadere possem, dignam esse Geographiam, ut aliquod in ea consumatur tempus, quin etiam ut majus in eam adhibeatur studium, quam plerumque

que fieri ſolet, ut illis curandum eſt, qui tam leve, tam vile, & tam paradoxum elegerunt dicendi argumentum. Quod ſi enim unicum tantum iſtud afferrem, quod etiam ex Geographia pro Exiſtentia DEI non minimi roboris argumentum poſſit peti, profectò ſatis eſſet. *Cernatur* enim *univerſa hac terra, locata in media mundi ſede, ſolida & globoſa, & undique ipſa in ſeſe nutibus ſuis conglobata, veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos omnium, riparum veſtitus viridisſimos, ſpeluncarum convacas latitudines, ſaxorum aſperitates, impendentium montium altitudines, immenſitatesque camporum, adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris, & innumera adhuc alia*, nonne Deum eſſe teſtantur eundemque ſapientem non minus ac omnipotentem? Verûm id aliis jam diu fuit perſpectum, qui prolixius de hoc argumento diſſerere cœperunt. *Sunt enim omnia admirabilia. Quanta Maris eſt pulchritudo? quæ ſpecies univerſi? quæ multitudo & varietas Inſularum? quæ amœnitates orarum & littorum? quot genera, quamque diſparia partim*

submersarum, partim fluitantium, partim innatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium. Ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Hæc & hujusmodi alia, si vel homines veræ Religionis & veri ignaros Dei rapuerunt in admirationem, ut de Ente aliquo supremo cogitandum esse judicarint, quales non oportet esse & quo animo affectos, quibus id tantum ut cumulus accedit? sed mitto hæc omnia, quibus omnes adimpleri possent paginæ. Auctor Lexici recens in vulgus emissi conqueritur de negligentia studii Geographici, & videri, inquit, ac si istud studium plerumque non censeatur dignum, quod majori agatur diligentia. Non autem ille solus est, qui Geographiam tantopere negligi dolet; Socium inprimis etiam habet Auctorem Geographiæ Germanorum vernacula editæ, qui se Melissantem amat appellari. Scio præterea alios, Viros eruditos, qui idem sentiunt; ex quibus memini dixisse quendam, inter alias causas, quare nostro seculo Geographia, una cum universa Philologia tantopere negligatur, ita, ut tantum non aperte dicant, turpe esse & animo magno, ad amplam adspiranti rerum

scien-

ſcientiam indignum in iſtiusmodi levibus elaborare ſtudiis, etiam hanc unam eſſe, quod ii, qui hujusmodi doctrinas urgeant, ceterisque præſtent, non facile ſoleant in hæreſeos venire ſuſpicionem, niſi quem terreat metus à Cleanthibus. Nam in eo jam extremo hominum mores eſſe ſitos, ut qui multum in eruditione ſibi videantur excellere, ſibi honori ducant in aliquam hæreſeos veniſſe ſuſpicionem; id quod quaſi certisſimum ſolidæ eruditionis, quam ſe conſequutos putent, eſſe credant indicium. Aliter de Geographia ſenſiſſe STRABONEM Geographum fere antiquisſimum, conſtat, qui libro primo rerum Geographicarum *Terræ deſcriptionem*, inquit, *quam in præſentia inſtituimus, philoſopho non minus ulla alia re, quam is ſuæ tractationis eſſe ducit, conſiderandam cenſemus. Quod nos haud ab re ſentire, multis argumentis liquet. Qui enim primi philoſophiam attingere auſi ſunt, philoſophi ii fuere: Homerum dico, Anaximandrum Mileſium, ejusque civem Hecatæum, ut Eratoſthenes etiam ait, item Democritum, Eudoxum, Dicæarchum, Ephorum, aliosque complures: nec non iis ætate poſteriores, Eratoſthenem, Polybium, Poſidoniumque, homines & ipſos Philoſophos. Iam multarum*

rerum cognitio, qua sola hoc opus confici potest, non est nisi ejus, qui divinas humanasque res contemplatur, quarum rerum scientia philosophiam definiunt. Tum utilitas quoque multiplex, quæ partim ad negotia civilia actionesque Principum Virorum conducit, partim ad cognitionem cœlestium, terrestrium, maritimorumque animantium, stirpium frugum, atque aliarum rerum, quæ singulis visuntur locis, virum designat eum, cui vita ars & beatitas curæ sit. Verum uti rerum humanarum omnium, ita & disciplinarum inter homines semper aliqua est animadversa vicissitudo, ut nunc hæc nunc illa eminuerit Disciplina; prorsus, ut hominibus de Geographiæ negligentia conquerentibus aliqua spes remaneat, fore aliquando, ut & hæc ê suis quasi progrediatur tenebris, & majore ab hominibus colatur diligentia: præsertim cum illa non omnino jaceat, sed hinc inde per Orbem semper aliqui reperiantur, qui non sine multo labore & industria quidem, sed etiam non sine magna laude in ea versari soleant. Attamen inprimis

Apparent rari nantes in gurgite vasto,

qui aggrederentur opus aliquod Geographicum latina lingua conscribendum, cum tamen

tamen id maximè foret & utile & necessarium. Scio equidem moris jam esse, eumque morem apud Germanos in dies magis invalescere, ut sua utantur vernaculâ, non solum in edendis libris, verum etiam in sermone eo, quem vel disputando, vel docendo, vel colloquendo insumunt, cum tamen & deberent & maxime deceret, uti vernaculâ, non autem ea, quam â parentibus quasi hæreditate acceperunt, sed Eruditorum, id est, Lingua Latina. Hinc tot jam extant Auctores Classici Germanis notis quasi turpiter habiti, imo etiam in Germanam linguam translati; id quod, quanto fiat detrimento clamant omnes ii, quibus puerorum ingeniis omnis insumendus est labor. Talia autem maxime Geographia experitur, quæ nullibi plane latino idiomate apparet. Dico autem nullibi. Nam ego quidem probe scio, quanta fuerint in Geographiam merita Virorum illorum celeberrimorum, Cellarium puto atque Cluverum, item & Valerium aliosque. Sed doleo tales Viros extitisse tantum seculo priori, ut ita nostram videre non potuerint ætatem. Hinc cum & eorum libri, quos confecerunt, Geographici, seculo jam priori quoque fuerint emissi, neminem id

 per-

persuasurum mihi credo, istos nunc eum, quem tum temporis, quo erant primum in lucem editi, posse præstare usum, cum Geographia, vel potius rerum in Orbe habitabili status, qualiscunque sit, semper soleat mutari. Nunc enim mutantur rerum atque possessionum Dominia, nunc castellum, nunc oppidum, nunc urbs aliqua aut denuo exstruitur, aut melius reficitur, prorsus ut altero quovis anno multa quoque in in libris de Geographia agentibus immutari debeant; id quod usus & experientia, quin & recensus publici atque itineraria, & Geographici quoque libri toties denuo typis impressi satis luculenter testantur. Hinc istorum Virorum de Geographia quidem bene meritorum opera, præsenti tempore, cum totum jam præterlapsum sit seculum, ex quo fuerunt in vulgus emissa, magnum non amplius præstare possunt usum; taceo, quod isti libri partim nimis sint breves, partim etiam lectu difficiles. Quod posterius quidem maxime de Cluvero dictum volo, quem valde succinctum haberemus superstitem, nisi alius in illo augendo extitisset opera. Cum verò tali modo sit auctus, ut illa, quæ fuerunt addita, ipsi auctori non sint inserta, sed subjecta & passim per librum

brum sparsa, ut ita unam eandemque rem duobus aut sæpe etiam tribus locis descriptam quærere debeam, multum omnino detrahitur jucunditati, quâ tam largiter aliâs frui possunt ii, qui Geographicos libros legendo se delectare cupiunt. Cellarii opusculum, quod inscripsit Nucleum Geographiæ Novæ & Antiquæ, breve est & angustum, ut non amplius nec ratione temporis, nec ratione rerum, quæ in eo continentur (de Geographia nova id intelligendum, nam antiqua non immutatur) sufficere queat. Alterum ejusdem Viri opus nimis est pretiosum & rarum, uti quidem & alii omnes libri Geographici, quorum plures in sequentibus nominabo, latina lingua conscripti, ita ut non in omnium versentur manibus. Est igitur omnino penuria librorum de Geographia latino sermone agentium; quod quidem mirum est, cum tanta reliquorum librorum, de quavis disciplina tractantium, multitudo sit, ut rem litterariam, quæ charta typis impressa consistit, quidem augere, scientias autem magis impedire, earumque incremento officere videantur. Quod si quis occurrat, non tantum præstare usum Geographias latino sermone conscriptas, quantum præstent Ger-

manæ, non esse omnes, quibus Geographias legere volupe sit latinarum litterarum doctos; ei ego eodem jure responsum velim non omnes omninò esse mercatores, dari homines eruditos, latinarum litterarum amantes, qui non id ex Geographiis Germanis haurire queant & velint, quod possent ex Geographiis eruditorum Vernacula, id est, latina lingua conscriptis. Nullus dubito, quin omnes, qui quidem recte sentire cupiunt, idem mecum sentiant. Taceo quod multa eaque jucundissima scitu, quæ ipsam latinam linguam attinent, ex Geographia debeant illustrari & demonstrari; ut nunc exempli gratia, quædam levissima quæ veniunt in mentem, afferam; istud proverbium quod ita sonat: Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdin; & istud de ære Dodoneo desumtum, & multa adhuc alia; an aliunde, quam ex Geographia melius, an jucundius ex Lexicis discuntur? minime credo quemquam inficias iturum, quod

dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ.

Hæc autem & hujusmodi multa, quæ possunt tradi in Geographiis latinis multô commodius & multô aptius quam in Germanis mercatores & ejusdem generis alii homines non

non curant; nec talia in Geographiis quoque desiderant alii complures, qui tantum Geographias legunt, ut recensus publicos melius intelligant & rectius; uti ê contrario homines latinarum litterarum docti, aliarumque disciplinarum minime rudes non anxie quærent in Geographiis, utinam locorum haleces suas capiant Batavi, & quæ sunt alia hujusce generis levia, quæ recensendo plerique Geographias absolvi sibi persuadent. Cum itaque Geographia immensum dicendi proponat argumentum, ita ut nec vires unius ejusdemque hominis sufficere, nec multa id capere queant volumina; hominum autem alius alia magis amet, magis optet, magis desideret & magis necesse habeat; patet unicuique singulis hominum generibus singulas posse confici Geographias, ita, ut alia in usum Mercatorum, alia iterum in usum opificum, alia denique in usum Eruditorum cedat. Geographia autem in gratiam eorum scripta, qui in litteris atque scientiis omne suum consumunt tempus, quæ potest esse dignior, quæ utilior, quæ jucundior; quæ denique quæ magis commendari mereatur, quàm ea quæ latinis conscripta est litteris? Sed ego probe sentio & intelligo, quæ vera subsit causa,

negotiis, priusquam adgrediaris adhibenda est præparatio diligens. Stat â meis partibus Pomponius Mela, qui quidem satis latinè scripsit, & expertus quales quantæque sint propositæ difficultates, & quæ obstent impedimenta hisce verbis suam exorsus est Geographiam: *Orbis situm dicere aggredior, impedimentum opus & facundiæ minime capax, constat enim ferè ex gentium locorumque nominibus, & eorum perplexo satis ordine, quem persequi longa est magis, quam benigna materia, verum adspici tamen cognoscique dignissimum, & quod sine ope ingenii orantis ac ipsa sui contemplatione pretium operæ attendentium absolvat.* Sed hæc hactenus de latinarum Geographiarum penuria. Quod si jam eas, quæ nostra vernacula sunt editæ, consideramus, quæ quidem satis multæ sunt, ut de penuria conqueri nemo queat, nescio an illarum præstantia hominum satisfaciat desiderio. Nolim hoc dictum æstimari in contemtum eorum Virorum, qui isto non obstante præclare de Geographia sunt meriti. Nam id humanarum non est virium, ut unus aliquis aut pauci tantum sua ætate præstent, quantum multi omni labore connisi præstare vix queunt integris seculis, ut nimirum disciplinarum aliquam plane jacentem erigant

graphiam tironibus jucundiorem atque faciliorem, adultioribus & omnibus omnino magis expeditam reddidit atque suavem; ingeniosam, puto, pariter ac utilem Tabularum Geographicarum *illuminationem*, quam proprio suo arbitrio in hujusmodi rebus inprimis gnaro jussit institui, ita, ut non solum alia quævis regio, alio semper colore conspicua reddatur, & termini regionum adcurate describantur; verum etiam ut ipso Tabularum intuitu quilibet statim possit internoscere, (si modo ei ante perspectum fuerit, quid quisque color designet) quæ regiones in Tabula Geographica apparentes Romano Catholicam amplexentur Religionem, quæque venerentur Evangelicam, & quæ Reformatam, imo quæ mixtam habeant religionem; cujus rei testimonium & exemplum esse potest inter alias etiam illa Tabula, quæ Helvetiorum pagos sistit delineatos. Venerabuntur credo hanc ingeniosam Viri celeberrimi solertiam omnes illi, qui Tabulam aliquam Geographicam nullis coloribus distinctam aspexerunt. Quantæ ibi deprehenduntur tricæ! quantæ difficultates! quam molesta locorum investigatio! quam fallax inde reportatur memoria! plane ut tædio potius abjicienda Geogra-

ographia, quam cum Voluptate aliqua pertractanda videatur. Eſt igitur omninô verum, quod hac ingenioſa Viri diligentia multo ſplendidior, multô ornatior, multô facilior & multô jucundior reddita ſitGeographia. Nihilominus etiam fatendum eſt, eſſe hoc tantum externum quid; non enim omnem abſolvit rem, imo plane non tangit. Inquirendum eſt melius in adcuratas rerum ſedes, terrarum fertilitates, earumque ſterilitates, quid quævis terra facillime capiat; item adcuratius inveſtiganda ſunt antiquitatum monumenta paſſim per terrarum orbem ſparſa, & quæ ſunt alia bene multa, quæ deſiderantur adhuc cum quodam ſit optandum, *ut Heros quidam aut Hercules exſuſcitaretur, qui Geographiam tot mendis, tot navis miſerum in modum conſpurcatam, emendaret emundaretque, ut Atlas aliquis reſurgeret, qui collapſam aut profectò collabeſcentem terræ machinam, humeris ſuſtolleret ſuis, & manu & munificentia ſua ſuffulciret, ut Tycho quiſpiam renaſceretur, qui quod in coelis ille præſtitit, in terris hic idem tentaret. Nonne mirum eſt nos perfectionem, (ſi quidem credere fas eſt) cæleſtium corporum tot innumeris paraſangis, imo diametris terreſtribus à nobis diſſitorum notitiam habere, quam*

terræ

terra, quam quotidie calcamus? qui cœlum tanquam regiam domum, suspicimus quidem, in terra vero acquiescimus, in hac quiete fruimur & mora, nec tamen illius plenam, quidni fere nullam, notitiam tot seculis acquisivimus. Credo revera maximos Geographiæ thesauros, & arcanas observationes in Nauclerorum scriniis, secretorum loco asservari, nec in lucem propediem productum iri. Est etiam incommodum quoddam, quod quidem in omnibus fere libris Geographicis deprehenditur; nimirum ubi sermo est de urbe aliqua nobiliori, quæ magnitudine aliâque præstantia reliquorum multas videtur antecellere, ibi nulla addunt signa, nullas significationes, nulla indicia, ex quibus posset intelligi, quomodo talis urbs ad reliquas se haberet; duabusque hujus generis urbibus propositis, si nimirum in contentionem veniant & comparationem, utra alteri sit præponenda. Pari modo de castellis munitisque urbibus sentiendum est. An enim omnes pari ratione se habent? propositisque duabus urbibus, iisque insignibus, annon una altera potest esse præstantior, licet utraque referenda sit ad urbes terrarum orbis nobiliores? an omnia uno eodemque modo iisdem munitionibus & natura & opere sunt exstructa?

an non unum altero præstantius, altero munitius? par ratio est urbium vel oppidorum, de quibus dicunt quod sint bene exstructa; id quod sæpius, non per integrum puto librum, sed in una eademque pagina occurrit, ut de hac urbe prædicetur quod sit bene exstructa, de altera itidem, quod sit bene exstructa, & iterum de tertia.. Quid autem hoc sibi vult? an id agunt, ut persuadere lectoribus velint, omnes omnino urbes per terrarum orbem eodem modo bene exstructas esse? Quid quæso cogitandum est, & qualis excitetur in Mente notio, si de urbe aliqua lego, quod illa sit bene exstructa? Quod si quis dixerit adjungi in libris de Geographia agentibus persæpe numerum ædificiorum, ut exinde facile possit intelligi, quantum ista urbs de qua sermo est, complectatur spatium, atque duabus vel tribus vel etiam pluribus propositis urbibus, cuilibet clare constet, quænam ex illis maxima, quæ media, quæ denique sit minima. Ad quod quidem respondeo, sæpe falli & turpissime labi Scriptores Geographicos, & à semet invicem magnopere dissentire,(nisi unus alterum exscripserit) ut si quis eorum certum aliquem ædificiorum numerum constituerit urbi, alter ducenta detrahere, tertius ducenta addere plane non dubitet. Quod-

si

si etiam ea, quæ numerum ædificiorum in urbe aliqua attinent, omnia recte se haberent, ita ut si unus aliquis prædicaret de urbe aliqua, quod decem millia contineat ædificia, alter idem affirmet, reliquis quoque non dissentientibus; deinde si de alia quadam urbe eundem omnes prædicent ædificiorum numerum, an eam ob causam credere possum & mihi persuadere, quod idem ratione magnitudinis spatium comprehendant istæ duæ urbes? annon quinque ædificia in una urbe tantum possunt comprehendere spatium, quantum in altera complectuntur viginti; nimirum si altera sint ædificia vilia & angusta, altera autem ampla & magnifica? annon possunt esse in una urbe aliqua angustæ viæ & arctæ porticus, in altera autem viæ latæ atque regiæ? in altera quoque tam compacta ædificiorum in altitudinem magis, quam latitudinem exstructorum junctura, ut alterum subinde murum duo ædificia habeant communem? ex his aliisque, quæ possunt adhuc afferri facile patet unicuique multas heic propositas esse difficultates, quæ tam facile superari non possunt. Cogitandum ergo esset de quibusdam signis seu significationibus fixis, quæ certam & determinatam haberent rationem; & ex altera parte urbes

quoque & castella, & quæ sunt alia rite observarentur, eorumque discrimina recte indicarentur, si quidem major atque certior rerum afferatur cognitio. Sensit hanc difficultatem Isaacus Harbrechtus in Planiglobio Terrestri sua patefaciens animi cogitata; qui quidem utrum recte senserit, an minus, penes Lectorem judicium esto; certe quidem dedit exemplum aliquod, ut scite queamus, qualis debeat inveniri modus, secundum quem urbes & alia quæ sunt in orbe habitabili recenseantur; verba illius hæc sunt: *Paracelsus in ea fuit opinione, unicuique stellæ fixæ, suam adpropriatam esse plantam: harumque cum stellis æqualem esse numerum, quod ei liberum esto: at si in seriis ludere parumper licet, haut inconvenienter fingi posse credo, stellis fixis juxta institutam comparationem in orbe terrestri analogice respondere urbes, civitates, oppida, aliasque habitationes obscuriores, ut & alibi monui. De numero stellarum, nil certum pronunciari potest, nec plus de habitationum multitudine, quam de viventium numero quispiam certus erit. Magnitudine, splendore, atque celebritate stellæ distinguuntur, juxta antiquitatem in sex, ex nostratium censura in duodecim ordines: Sic stationes nostras facile in totidem classes distinguere possumus: Prima maximaque magnitudinis*

dinis fixæ sedecim recensentur: totidemque maximas urbes in orbe facile offendes; quales in Europa sunt Roma, Lutetia, Londinum, Venetia, Praga; In Chersoneso Tacola; in Thracia Constantinopolis; in Aegypto Alkairum; in Africa Fessa; in Serica Issedon; in Parthia Hecatompylon centum portas habens; in China Quinsai, urbs maxima totius orbis terrarum, quæ in circuitu centum milliaria comprehendere dicitur & 12000. pontes; in Jucatana Patanchan, quæ magnitudine æquatur Cairo: In Borneo Insula, sub Aequatore sita urbs, Borneo dicta, constans viginti quinque millibus ædium; in Regno Mexicano, Mexico; in Japonia, Ozaca. Secundæ magnitudini comparentur Emporia; tertiæ civitates Mediocres; quartæ oppida, & sic consequenter, ad stellas usque visum nostrum sine tubo Optico fugientes, quæ similes sunt castris & tuguriis, non nisi congressu notis. Sic & deserta per loca stellis vacua adumbrantur; nec non maria & flumina per galaxiam, quæ longius multo diffunditur; quam perspicillis destitutus oculus antehac consectari potuit. Est & non prorsus insipida hæc comparatio, dum videmus in cælo stellas quasdam evanescere, novas autem è contra emicare: abolitarum aliquas recenset Tycho in progymnasmatis: recens exortarum catalogum memoria extemplo suppeditabit: viderunt nostræ ætatis

homines anno 1572. novam in Cassiopoea, ubi anno 1264. similis propemodum luxit; aliam anno 1596. in Cete: 1597. in Ursa majore. 1600. in Cygno, 1604. in Serpentario: & multæ procul dubio longa serie temporibus præterlapsis à nemine observatæ. Idipsum autem in terris quoque accidere experimur: excidium passæ sunt, inundationes, ruinasque civitatum numero haut paucæ, & quidem totius orbis splendidiores: emergunt è contra quovis seculo nonnullæ, illarum quasi vices suppleturæ, &c. &c. Quidquid autem hornm sit: nominabo nunc alios, qui Geographiam cum cura aliqua ex majoribus nostris tractare studuerunt, id quod Historiæ Geographiæ poterit inservire. Scriptorum autem tum Cosmographicorum, tum eorum, qui Tabulas Geographicas adornarint, indicem Generalem exhibet Ortelius præfatione in Theatro Orbis Terrarum. Alium indicem Tabularum Geographiæ veteris apud Scriptores antiquos sparsim commemoratarum Idem habet in Parerg. Geographiæ Veteris ad ævi Veteris typum Geographiæ, & Tabulam VII. Scriptorum Geographiæ veteris aliquot collegit & in lucem edidit David Hæschelius, qui sunt Scylax Caryandensis, Marcianus Heracleota, Artemidorus Heracleota, Artemidorus

dorus Ephesius, Dicæarchus Messenius, & Isidorus Characenus. Scylacem etiam Latine reddidit & notis illustravit Isaacus Vossius, crediturque ille inter primos extitisse, qui Geographiam scripserit. Reliquorum, qui proxime â Scylaee idem conati fuerunt, vix aliud quam mera supersunt nomina, quales Pytheas Massiliensis, Timosthenes Rhodius, qui Ptolomæi II. seu Philadelphi Archithalassus fuit, & libros x de portubus edidit, Eratosthenes, qui sub Ptolomæo IV. vixit & Timosthenem secutus dicitur. Scriptores ê Græcis quos habemus Geographicos sunt STRABO, Vir eruditione & judicio præstantissimus. Genus duxit nobile è Cnosso Cretæ civitate, in qua Dorylaus Tacticus Mithridatis Evergetæ amicus ê Macetide Sterope sustulit Stratarcham in extrema senectute Straboni adhuc visum, & Lagetam, cujus filia fratri Moaphernis nupta peperit matrem Strabonis. Dorylai Tactici frater fuit Philæterus, cujus filius ê Mithridatis Eupatoris ducibus unus, regi charissimus & summo in Comana Ponti Sacerdotio regia proxima dignitate (confer A. Hirtium de bello Alex. cap. 66.) functus patruo cognominis fuit, neque plura de genere materno Strabonis observavit eruditorum industria,

 de

de paterno ne tantillum quidem. Patria fuit Amasea Cappadociæ sive Ponti civitas, unde Josepho & aliis Cappadox dicitur. Audivit in Grammaticis Tyrannionem atque Aristodemum, & hunc in Rhetoricis quoque mane, cum pomeridianis horis Grammatica tradentem auscultaret. e Philosophis frequentavit Xenarchum Seleucienſem Peripateticum, & cum Boëtho se in dogmatibus Aristotelis exercuit, attamen Peripateticis amplius probavit Stoicos, ut adversus Xylandrum demonstrat Casaubonus non uno loco suarum in Strabonem notarum, & in præfat. tum *Vossius ll. 6. de Historicis Græcis.* Athenodorum *celebrem sub Augusto Stoicum Amicum suum vocat Strabo XVI. p. 779. Itinerum passim à se susceptorum facit ipse quoque mentionem, Aegyptumque, Asiam, & Græciam atque Italiam, sed & Sardiniam & alias Insulas perlustrasse se testatur.* Ab Armenia usque versus occasum ait se profectum ad Hetruriæ loca Sardiniæ opposita, & versus meridiem ab Euxino Ponto usque ad extrema Aethiopiæ. Germaniam ipse non adiit, unde tanto minus mirum, quod perturbatorie ac parum bona fide has regiones descripsisse queritur Phil. Cluverius III. 1. *Germania antiqua*, & quod in de-

descriptione Germaniæ multos eum commisisse errores arguit Herm. Conringius. Licet & circa Germaniam Strabonis industria celebratur ab Ægidio Tschudo in Epist. ad Beatum Rhenanum inter Philologicas â Goldasto editas p. 224. Scripsit autem Strabo Libros XVII. de Geographia, in quorum duobus primoribus docet Geographiæ cognitionem rem esse Philosopho dignissimam, & Homero pridem atque antiquis Philosophis minime neglectam: neque verô causam sibi defuisse, cur post *Eratosthenem, Timosthenem, Hipparchum, Posidonium aliosque,* quorum hallucinationes nonnullas perstringit, Geographiam illustrandam aggressus sit. Hinc post insignem disciplinæ ipsius & tractandorum Hypothyposin aggreditur LIBRO III. describere *Hispaniam*, quarto *Galliam Britannicasque* insulas & *gentes inalpinas*; quinto & sexto *Italiam, insulasque adjacentes*; septimo, qui extrema parte mutilus est, *Germaniam, Getas, Illyrios, Tauricam, Chersonesum & Epirum.* Octavo, nono & decimo *Græciam cum vicinis Insulis*; proximis quatuor libris XI. XII. XIII, XIV. *Asiam intra Taurum*, Libro XV. & XVI. *Asiam extra Taurum, Indiam, Persidem, Syriam, Arabiam* &c. Libro XVII, denique *Aegyptum, Aethio-*

 piam,

piam, Carthaginem, ac reliqua nonnulla Africæ, ſubjunctâ enumeratione Provinciarum, quas Strabonis tempore per univerſum terrarum orbem tenebant Romani. Neque ſimpliciter ſitum locorum nominaque in præſenti opere annotat hic ſcriptor, ſed frequentiſſime inſtituta, mores, politiam, religionem populorum ac Rerumpublicarum exponit, & viros celebres laudat, ut vere haberi poſſit quidam veteris Hiſtoriæ ae Geographiæ theſaurus ſingulari judicio acdelectu compoſitus. Ex editionibus Strabonis notæ ſunt illuſtres maxime ſequentes: *anno 1511. Strabo in latinam linguam verſus à Gregorio Trifernate & Guarino Veronenſe, Pariſ. in fol.) anno 1516. Strabo Græce apud Aldum. Venet. in fol.) anno 1523. Strabo è Guarino Veronenſe & Gregorio Trifernate, ut putatur verſus, ſed recognitus & emendatus ab Conrado Heresbachio Baſil. in fol.) anno 1539. Strabo latine ex Verſione Guarini Veronenſis, & Gregorii Trifernatis, ſed recognitione Conradi Heresbachii, ex officina Curionis, Baſil. in fol. ex Joſiæ Simleri Epitome Geſner.) Anno 1571. Strabo Græce & latine ex Verſione Guilielmi Xylandri cum ejusdem notis, ex Officina Henrc. Petrina, Baſil. in fol.) anno 1552. Strabo Græce & latine ex emendatione Marci Hopperi, Amſtelodami*

mi apud Johannem Jansonem juniorem in 12. Anno. 1587. Strabo græce & latine cum notis Isaaci Casauboni, Genev. apud Custath. Vionon. in fol. quæ non contemnenda est.) Anno 1625. Strabo Græce & latine cum notis Isaaci Casauboni Paris. in fol.) Ast omnium splendidissima, locupletissima & pretiosissima est, cujus integrum titulum heic cernis: *Strabonis rerum Greographicarum Libri XVII. accedunt huic Editioni, ad Casaubonianam* III. *expressæ, notæ integræ G. Xylandri, Joh. Casauboni, F. Morellii, Jac. Palmerii; Selectæ vero ex scriptis P. Merulæ, & Meursii, Ph. Cluverii, L. Holstenii, Cl. Salmasii, S. Bocharti, Is. Vossii, E. Spanhemii, Ch. Cellarii aliorumque subjiciuntur Chrestomathiæ Græc. latin, Amstelædami, apud Joannem Wolters, Anno. MDCCVII. Plura* de Strabone vid. apud Fabric. in Biblioth. Græc. Porro Græcus Scriptor Geographicus est CLAUDIUS PTOLEMÆUS, Pelusiensis, diversus non modo à Regibus Ægypti hoc nomine, cum quorum aliquo nonnulli eum confuderunt, sed etiam â Ptolemæo Mathematico sive Astrologo, qui Galbæ assiduus comes adfuit teste Plutarcho in Galba p. 1063. & cum Othone Imperatore in Hispania versatus superfuturum eum Neroni pollicitus est, ut narrat Tacitus lib. 1. Hist.

Hist. c. 12. Hic autem Claudius Ptolemæus Geographus sub Marco Aurelio Antonino floruit teste *Suida* atque ipso libro VII. magnæ Syntax, p. 165. testatur *se observationes Astronomicas instituisse Alexandria* (unde Alexandrinus Suidæ aliisque appellatur) *secundo anno Antonini Imp.* (Pii, qui respondet ao. Christi CXXXIX. in cujus proximum incidit etiam observatio æquinoctii verni de qua Libr. 3. p. 62.) post observationes Hipparchi anno CCLXV. Olympiodorus verò in Phædonem Platonis testatur Ptolemæum hunc in Canobi Pteris per quadraginta annos habitasse, & inventas â se Astronomicas Conclusiones ac demonstrationes columnis illic positis curasse insculpendas. Canon autem Ptolemæi notat Antoninum Pium regnasse annos XXIII. unde ei superstitem fuisse Ptolemæum constat. Dici non potest, quantnm ei omnes fere Mathematicæ disciplinæ debeant. Ejus autem Libri Geographici sunt VII. quod opus promittit Lib. 2. *magnæ Syntaxeos cap. ult.* unde adversus Franciscum Barocium III. 3. Cosmographiæ recte observavit Joh. Baptista Ricciolus VII. 10. Geographiæ reformatæ *eundem esse magnæ Syntaxeos & Geographiæ Scriptorem*; tum verô Julium Maternum, qui

â

â Ptolemæo Lib. I. Geogr. c. 8. allegatur diversum fuisse â Julio Firmico Materno, qui sub Constantino M. de Astrorum Judiciis scripsit ad Lollianum. Docet porro Ptolemæus ipse L. 1. c. 19. se his libris secutum esse opus Geographicum Marini Tyrti, non diu ante editum, sed in plurimis emandasse ac supplevisse, tum locorum positioni numeros longitudinis & latitudinis, provinciis verô terminos, quibus ad qnatuor plagas Orbis terrarum circumscribuntur, adsignasse. Meminit præterea *Hipparchi, Maenis, Titiani, Timosthenis, Diodorique Samii,* & quorum itinera Marinus notaverat *Septimii Flacci ac Diogenis cujusdam Theophilique ac Philemonis Mercatoris & Dioscori.* Tabulas Geographicas Ptolemæi mentem presse secutus delineavit Agathodæmon Mechanicus Alexandrinus, incertum an idem cum Agathodæmone Grammatico, ad quem nonnullas Isidori Pelusiotæ Epistolas habemus, licet de hoc non dubitat Vossius L. de Philologia, c. XI. §. 23. Græce lucem vidit Ptolemæi opus Basil. 1533. 4. ap. Frober. Paris. 1546. ap. Christianum Wechelum. Græce & Latine cum notis Gerardi Mercatoris Amstel. 1605. atque iterum cum iisdem Gerardi Mercatoris notis & castigatione Petri Bertii

tii Amstel. 1618. forma majore in fol. cum Tabulis Geographicis elegantibus. A recentioribus Geographis observatum est, gradus longitudinis & latitudinis in Ptolemæo ut plurimum fallere, in locis præsertim longius â regione, qua versabatur dissitis. Confer. Js. Vossium c. 16. de Nili origine, & Jobum Ludolphum Commentar. ad Hist. Aethiop. p. 91. Quin in ipsius Alexandriæ designatione non mediocriter aberrasse notavit Chazelius Astronomus & Mathematicus ê societate regia Paris. ut videre est in Bernardi Lamii apparatù Geographico ad Harmoniam Evangelicam p. 372. seq. sed & numeri in Codicibus editis passim male sunt expressi, & nominatim in Bertiana Ptolemæi editione multos errores animadvertit Jo. Gravius consulto MSto. Ptolemæi Codice Seldeniano, ê quo descriptionem Arabiæ excerpsit & Abulfedæ descriptioni Arabiæ subjicere voluit. CHRISTOPHORO CELLARIO Viro de Veteri inprimis Geographia præclarissime promerito suspectus est ipsius industriæ nomine *Ptolemæus*: *mirari enim* inquit, *subit, unde Aegyptius disjunctissimarum rerum tam certam ut prodit notitiam acceperit. Aeque enim in remotissimis quo vix dum homines adierant, copiosus est, nec dubi-*

us

us ut in propinquis & cognitissimis. Non minus de eo conqueritur PAULUS MERULA præf. in Greographiam, *causatus plurima magno autori scripta esse ab auditu, & ex incerta aliorum fide, multa item, quæ aliis nominatissima negligenter in iis omissa, multa sequiorem nacta esse stationem, & extra verum locata situm, multa dubiam adepta nomenclaturam, infinita non suis tributa populis vel regionibus, plurima denique cum ab aliis tum ab se ipso & alibi dictis dissentientia.* SALMASIUS p. 1186. ad Solinum de Ptolemæo: *Nomina urbium quasi recentia & extantium ubique recenset, quæ jampridem esse desierunt. sæpe vetus ac recens ejusdem oppidi vocabulum velut urbium diversarum appellationes posuit. Interdum urbes jam pridem extinctas & eversas cum novis commemorat, quæ in eorum locum successere, aliquando eodem, aliquando alio loco posita. Persepolin inter regias Persidis numerat, quam ab Alexandro eversam fuisse, nec post illa tempora unquam resurrexisse, omnibus auctoribus id asserentibus constat.* Plures Ptolemæi errores ORTELIUS ac GERHARDUS MERCATOR, alios PHILIPPUS CLUVERUS, alios MARCUS VELSERUS *in rerum Augustanarum libris*, alios alii annotarunt. In Scotiæ descriptione satis adcura-

tum

tum esse, nisi quod loca quædam magis sita sint versus septentrionem, notatum Guiliel. Nicolsono in Bibl. Scotica. Porro Græcus quoque Scriptor fuit STEPHANUS BYZANTINUS, auctor Lexici, quod eruditorum manibus teritur, Geographici. Opus istud ab ipso auctore inscriptum fuisse videtur, Ethnica, ita enim Suidas & sæpe Eustathius appellat, & suadet scopus operis haud postremus, qui ad Grammaticam artificiosam pertinet, & est nomina gentilia docere, quomodo à gentium, regionum, insularum, urbiumque, pagorum & fluviorum nominibus recte deduci deceant, quod veterum scriptorum auctoritate plerumque facit, imo semper hoc eum facere, si opus ipsum Stephani extaret integrum, videremus: etsi ipsum sæpe ex ingenio formare sua Ethnica notat Js. Vossius ad Melam p. 45. Fatendum enim est STEPHANUM per universum opus non pauca adspergere de urbium populorumque veris & fabulosis originibus, recensere passim Viros doctos, qui in civitate vel regione, de qua agit, claruerunt, aliaque tradete quam plurima Historici & Geographici argumenti, ita quidem, ut si præcipue ipsum STEPHANUM, non *Stephani* Epitomen haberemus, minimam

minimam operis partem tributam videremus exponendis nominibus gentilitiis & patronymicis, unde vocem, Ethnica, paulo laxius â STEPHANO acceptam suspicabatur acutissimus *Balius* cujus verba ex T. 3. Lexici, p. 2793. adscribam : *il n' y a nulle apparence, que le dessein principal de ce Grammairien ait roulè sur l'explication de ces termes derivatifs. C'étoit apparement la plus petite partie de son projet, & un accessoire de son ouvrage. J'avoue qu'il est fort soigneux de marquer ces sortes de noms, mais cela n'occupe que tres peu de place en comparaison des faits qu'il rapporte, & des temoignages, qu'il cite. Et que ce seroit, si nous avions tout l'ouvrage nous y verrions quelque fois des pages toutes entieres dans un seul article. Je croi sauf meilleur avis que le titre, Ethnica, se rapporte á toutes les observations, qui se peuvent faire sur un peuple, sur un lieu, entant qu'on se borne aux origines & à l'Histoire Geographique.* Editiones ejus quod attinet: A. 1678. Amstelodami fol. lucem aspexit Stephani Epitome, illustrata Animadversionibus copiosis & latina versione Judæi Lusitani, Thomæ de Pinedo, auctaque indice scriptorum ab Ethnicographo allegatorum, in quo quidem Xylandrum secutus

 est,

eſt, ut ipſe fatetur, ubi de Polo agit. Non pauca tamen addidit & Xylandri hallucinationes interdum correxit, ut cum inter alia ſuſtulit, quod Cornelium Alexandrum Polyhiſtorem Aſclepiadæ diſcipulum Hiſtoricum in quinque diverſos Scriptores Xylander diſtraxerat, notatus eo nomine à Joh. Jonſio p. 13. libri de Scriptoribus Hiſtoriæ philoſophicæ. Item A. 1684. Lugduni Batavorum in fol. prodiere Lucæ Holſtenii notæ & caſtigationes poſthumæ in Stephanum, non ſane à Viro præſtantiſſimo, quod valde optandum erat, ad editionem paratæ & elaboratæ, ſed quales ad oram STEPHANI ab *Holſtenio* adſcriptas velut ſylvam quandam & apparatam elaborandorum commentariorum in Codice Barberiniano ex autographo, quod Sereniſſimæ Chriſtinæ Suecorum Reginæ Holſtenius legaverat expreſſo reperit, nec ſine magno labore digeſſit deſcripſitque Theodorus Ryckius. Denique A. 1688. Lugduni Batavorum in fol. Stephani Epitome cum nova Verſione & commentario eximio Abrahami Berkelii editus eſt, qui Vir eruditus & diligens præter codicem Salmaſianum cum codicibus Palatinis collatum, variis aliis adminiculis & MSto inſigni Voſſiano

uſus

usus non tantum innumeris locis emendatiorem sed & interdum auctiorem Stephani Epitomatorem dedit, de quibus plura vid. apud Fabr. in Bibl. Græc. Hæc de Scriptoribus Græcis. Inter Latinos Geographiæ Scriptores eminet POMPONIUS MELA, qui Claudio Imperante vixit & Libros III. confecit de Situ Orbis. Isaacus Vossius in illo edendo multam navavit operam Anno MDCLIIX. sed omnium luculentissima atque nitidissima editio est Gronovii, cujus integer titulus hic est: *Pomponii Melæ de situ Orbis Libri III. cum notis integris Hermolai Barbari, Petri Joannis Olivarii, Ferdinandi Nonii Pintiani, Petri Ciacconii, Andreæ Schotti, Isaaci Vossi, & Jacobi Gronovii; accedunt Julii Honorii Oratoris excerpta Cosmographiæ, Cosmographia falso Aethicum Auctorem præferens cum variis Lectionibus ex MS. Ravennatis Anonymi Geographia, ex MS. Leidensi suppleta, curante Abrahamo Gronovio.* Porro habemus etiam PLINIUM SECUNDUM MAJOREM, qui Historiam naturalem nobis reliquit, cui Geographiam inseruit; sed â multis fabulosarum narrationum arguitur. Auctor tamen Belgicus, qui se commentatorem Plinii vocat, multis in rebus illum defendere studuit. Item in

manus noſtras etiam pervenit CAJUS JULIUS SOLINUS, Grammaticus, qui librum edidit ex variis auctoribus, comprimis Plinio collectum, quem *Polyhiſtorem* appellat; pleraque verò ſelegiſſe dicitur absque judicio, quam ob cauſam Scaliger ipſum leviſſimum appellat Scriptorem *in animadverſionibus ad Euſebium.* Concinnavit in eum exercitationes ſuas *Cl. Salmaſius* integro Volumine in fol. quas autem non uno in loco tantum perſtringit *Voſſius in obſervationibus ad P. Melam.* Præterea extat etiam ITINERARIUM ANTONINI IMPERATORIS, quo Provinciæ totius Imperii Romani deſcribuntur in Theatro Geogr. Veter. *Bertii.* Item TABULA PEUTINGERIANA, quam M. Velſerus ex Bibliotheca Peutingerorum primus edidit; procurritque hæc Tabula ab Occidentali Oceano per continentis totius longitudinem ad Orientem uſque ſingula notans loca & locorum Diſtantias, & in octo ſegmenta commodè diſtribuitur. I. ab Oſtiis Rheni Bonnam uſque II. Bonnâ uſque ad Marcomannos. III. A Marcomannis ad Sarmatas. IV. â Sarmatis uſqne ad Hamaxobios. V. ab Hamaxobiis ad Roxulanos. VI. â Roxulanis ad Parnacos. VII. â Parnacis ad Paracolas

racolas Scythas. VIII. â Paracolis Scythis usque ad finem Asiæ. Eam videre est in eodem Theatro Geogr. Vet. Bertii, præterea in Parergo Geogr. Vet. Ortelii Ed. â Joh. Moreto, & in orbis Antiqui Delineatione Jansonii. Qui recentiori ætate Geographiam Veterem illustrarunt, quosve ex parte jam citavimus, sunt ABRAH. ORTELIUS, *Geographus Regis Hispaniæ*, qui *Thesaurum Geographicum* in Geographiam Veterem adornavit, item *Parergon Geographiæ Veteris*, scriptum ob varia specialia lectu jucundum pariter ac utile, cujus editio melioris notæ est, quam procuravit Joh. Moretus A. MDCXXIIX. & continet Tabulas XLIX. PETRUS BERTIUS Geographus Regis Galliæ Ludovici XIII. cujus habemus Theatrum Geographiæ Veteris duobus Tomis distinctum Ed. Amstel. A. MDCXIIX. Tomus I. continet Geographiam Ptolemæi & Tabulas eô pertinentes; item *Gerh. Mercatoris* in Tabl. Ptolemæi â se delineatas Observationes: Tomus III. habet itinerarium Antonini Imp. Provinciarum Libellum, Civitates Provinciarum Gallicarum, Itinerarium Burdigala Hierosolymam usque Tabulam Peutingerianam. &c. JOH. JANSONIUS non minus adcuratam Orbis antiqui

tiqui Delineationem edidit A. MDCLIII. in fol. maj. quæ constat Tabulis Geographicis quam plurimis & præfixam habet *Georgii Hornii* Introductionem ad Geographiam Veterem, librum lectu utilissimum, quique & forma minori seorsim extat. Similem notitiam Orbis Antiqui idem JANSONIUS in Atlantis sui Tomo V. Ed. MDCD. Hydrographiæ subjunxit. Porrò recensere possumus etiam *Gerh. Mercatorem & Jodocum Hondium*, qui in fine seculi xv. primi insignem istam molem Atlantis meditati fuerunt, edito uno volumine Tabulis Geographicis & adjectis Descriptionibus egregiè pro temporis istius ratione instructo, quem deinceps varie auxerunt diligentissimi Viri *Joh. ac Wilhelm. Blaeul*, & *Joh. Jansonius*: estque in postremis editionibus Blaeul Atlas totis VIII. Tomis confectus, quorum ultimus finita Geographia Atlantem cœlestem continet. JANSONII Atlas Tomis V. constat, eo nomine potissimum laudandus, quod *Hydrographiam* peculiari nomine descripserit. Circa finem ejusdem seculi edidit etiam ABRAHAMUS ORTELIUS Theatrum orbis terrarum, Librum, ut omnia Scripta Ortelii, valde doctum, A. MDCLVIII. Parisiis edidit Nicol. Sanson d'Abbeville, Geo-

Geographus regius Tabulas Generales totius mundi xcIIx. Charactere valde nitido. Geographiam veterem ac novam conjunxere JOH. MAGINUS, celebris Mathematicus, cujus extant Geographiæ Veteris & Novæ Volumina II. Ed. Arnhem. ap. Joh. Janson. MDCXVII. 4to. & PHILIPPUS BRIETIUS in Parallelis Geograph. Veteris & Novæ Parif. A. MDCXLIIX. 4to. De sola Geographia Generali extat doctissimus liber BERNHARDI VARENII, quem vocat Geographiam Generalem, de novo editus A. MDCLXIV. Amstel. Cui simile nec inutile est, sed diffusius & mole majus scriptum JOH. BAPT. RICCIOLI Geographiæ & Hydrographiæ Reformatæ Libri XII. Bonon. MDCLXI. in fol. quod Locorum Communium instar fuerit. Inter Onomastica Geographica excellit ante memoratus *Thesaurus Geographicus* Ortelii, & *Liber XI. dicta Geographia Reformata Riccioli.* Ex iis qui præter locorum Designationem & Dominationem in Descriptione orbis Historiam Civilem & Sacram adjecerunt, est JOH. BOTERUS, Italus, cujus Descriptionem Orbis Germanicè reddidit & edidit ÆGIDIUS ALBERTINUS, Secretarius Ducis Bavariæ. In Germania istiusmodi quid

conatus fuit SEBASTIANUS MUNSTERUS in Cosmographia sua, Vir diligentissimus, sed in quo paulo plus accurationis desideres. A Gallis, qui de Geographia aliquid publicis mandarunt litteris, sequentes habemus libros, qui alicujus habentur pretii. *Methode abregée & facile pour apprendre la Geographie à Paris. A. 1722. 12. où l'on decrit la forme du Gouvernement de chaque Païs, les qualitéz, les mœurs de ses habitans, & ce qu'il y a de plus remarquable; avec un abregé de la Sphére. Hem. Les Estats, Empires & Principautez du Monde, representez par la Description de Païs, mœurs des habitans, Richesses des Provinces, les forces, le gouvernement, la Religion, & les Princes qui ont gouverne chacun Etat, avec l'origine de toutes les Chevaliers & Ordres militaires par le S. D. T. V. T. Gentil-homme, ordre de la chambre du Roy. A Paris chez Olivier, rue Sainct Jacques, à la Victoire, MDCXIII.* Item ejusdem fere ætatis extat libellus singularis, qui agit de Gallia, cujus titulus integer hic est: *Description contenant les Antiquitez, fondations & singularitez des plus celebres Villes, Chasteaux & places remarquables du Royaume de France, avec les Moses les plus memorables advenues en iceluy, A constances MDCVIII.*

Porro:

Porro: Pierre d'Avitus Theatre du Monde &c.
Hæc sunt præcipua opera Geographica, nam recentissima nominare supervacuum est; Materies illorum maxime est Europa, Asia, Africa; de America, utpote recentioribus detecta temporibus, non nisi recentiores agunt. Utrum verô America majoribus nostris plane fuerit incognita disputatur adhuc, ob loca quædam, quæ in antiquis auctoribus extant, Insulam aliquam & terram absconditam, nescio quam quasi divinantia. Talis locus est apud Platonem in Timæo sive de natura, ubi verba sonant ita: *Multa quidem igitur & magna civitatis vestræ facta hic scripta in admiratione sunt; Unum tamen & magnitudine & virtute omnia excedit. Scriptum enim habetur, quantam civitas vestra vim cum omni injuria grassantem aliquando compresserit, quæ extrinsecus ex Atlantico pelago progressa simul in omnem Europam ac Asiam impetum fecit. Tunc enim Pelagus illud navigabile erat. Insulam enim ante ostium habebat, quod vos Columnas Herculis, (credo id in Africam melius, quam Americam quadrare) appellatis. At insula illa & Lybia & Asia simul major erat; ex qua ascensus ad alias insulas tunc proficiscentibus contingebat, ex insulis autem, in omnem ex adverso continen-*

tem circum verum illum pontum sitam. Nam quæ intra ostium sunt, portus esse videntur, qui angustum quendam navibus aditum præbet; illud autem revera pelagus est, & quæ ambit ipsum penitus vere terra, rectissime continens dici potest. In hac verò Atlantide insula, magna & admiranda potentia regum fuit, quæ universa quidem Insula dominaretur, multis autem etiam aliis Insulis & continentis partibus, &c. &c. posteriore verò tempore terræ motibus ac diluviis ingentibus obortis, una die ac nocte gravi incumbente, & apud vos totum militare genus acervatim terra obsorbuit, & Atlantis insula similiter in Mari submersa disparuit. Quapropter etiam nunc innavigabile & intentatum manet illud pelagus, luto paulatim impediente, quod insula submersa invexit. &c. &c. Paria etiam divinasse creditur Virgilius, quando Libro Æn. VI. ita canit:

- - jacet extra sidera tellus
Extra anni Solisque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humeris torquet, stellis ardentibus aptam.

Meminit etiam *Aristoteles* libro de mirabilibus; Et *Johannes Georgius Becanus* in originibus Antvverpianis in Niloscopio suo, ex Diodoro Siculo, Platone & aliis de Atlantide

lantide multa erudite disputat, & nullus dubitat, quin per Atlantidem intelligatur *Occidentalis India sive America*, quàm nos primum *Columbi* industria, post *Americi Vespurii* navigatione detectam esse credimus. Porro etiam SENECA TRAGÆDUS in Medea vers. 374. idem indigitasse putatur dum canit

- - venient
Secula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxat, & ingens
Pateat tellus, Typhisque novos
Detegat Orbes; nec sit terris
Ultima Thule.

Michael Neanger in Orbis terræ parte prima ita habet: *Credibile autem est navigationem ad novum orbem veteribus intermissum fuisse vel regum civitatumque interdictis, vel ob Romani Imperii inclinationem, cum totus orbis noster bellis, direptionibus & vastationibus Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, exterarum gentium & barbaricarum arderet, & Turcici imperii incrementum omnes vires & cogitationes Europæ in se converteret.* Notam autem omninò Romanis Atlantida sive Americam fuisse MARINUS SICULUS Libr. 15, historiæ Hispanorum etiam hoc argumento probat, quod in

in Veteribus Hispaniolæ Insulæ aurifodinis *aureus nummus* inventus sit; in quo effigies Augusti Cæsaris conspiciebatur, quomodo idem retulit *auctor Theatri Orbis terræ*, *Abrahamus Ortelius*, quem ob admirabilitatem rei scribit missum fuisse ad summum pontificem. Quidquid autem horum sit, parum interest. Potuissem alia quædam nominare fragmenta Scriptorum Græcorum de Geographia agentium, sed pluribus agit de illis Fabricius in Bibliotheca Græca; Supersunt autem Fragmenta SCYMNI CHII, quæ rarô typis impressa reperiuntur. quare versionem Holstenii heic addam, ea spe, fore illam lectoribus non ingratam.

- - Milesii Odessum struunt
Quo tempore Astyages regebat Mediam,
Illam Crobyzi Thraces undique ambiunt.
Cruni vocata est Dionysopolis civitas
Olim ob propinquas fontium scaturigines,
Matiopolis inde dicta verso nomine:
Et postea cum Liberi signum patris
Ad hæcce pontus expulisset littora
Rursus vocatam Dionysopolim asserunt.
Hæc in Crobyzorum & Scytharum finibus
Sita incolas promiscuos Græcos habet.
- - hoc oppidum
A barbaris alii quidem structum volunt.

Alii

Alii Mesembriæ ferunt coloniam.
- - - - Callatis
Heracleensium quidem colonia est;
Oraculo jubente ab ipsis condita,
Cum regnum Amyntas obtineret Macedonum.
Tomi Milesiorum habent Coloniam:
Et hi Scythis cinguntur undique accolis.
- - Ister civitas
A flumine Istro nomen accepit suum:
- - & hanc Milesii
Struxere tunc urbem, Scytharum barbarus
Exercitus cum transiisset in Asiam,
Sequens fugaces Cimerios ex Bosporo
- - Ister amnis ex locis
Ad solis occasum remotis defluit,
Pontumque quinque scissus intrat ostiis:
In Adriam quoque altero alveo fluit,
Ab intima usque Celtica sat cognitus
Æstate nullo tempore unquam deficit:
Sed hyeme crebris intumescit imbribus
Et dum soluta nix liquescit, & gelu
Constricta glacies undique affluentibus
Impletur undis, ut ferunt: sed tempore
Æstatis æquali fluento labitur.
Quam plurimas quoque continere dicitur
Spectabilesque magnitudine insulas:
Quarum una fluminis inter ostia & mare
Jacens

Jacens adæquat ambitu suo Rhodum;
Propterque piceas plurimas quas sustinet
Peuce vocatur. hinc aperto in æquore
Achillis insula est - -
Habetque mansuetas aves quam plurimas,
Et advenis spectaculum præbet sacrum.
Nam terra nusquam exinde prospici potest,
Quam stadia quadringenta tantum dividunt
A continente, ut auctor est Demetrius.
Sed Thraces hi sunt atque Bastarnæ advenæ.
- * - - amnis Tyras
Profundus herbidusque alendis piscibus,
Situque mercatoribus percommodo;
Tutusque onustis subvehendis navibus,
Hic civitas amni jacet cognominis
Tyras, trahens originem â Milesiis.
Ubi ostiis junctis in unum confluunt
Hypanis Borysthenesque structa est civitas
Quæ nomen antea obtinebat Olbiæ;
Deinde Græcis dicta denuo fuit
Borysthenes. Milesii quoque struxerant
Hoc oppidum florenti regno Medico:
Ad quod ducentis stadiis ascenditur
Quaterque denis ex Mari Borysthenem
Per flumen - -
Hic amnis unus omnium utilissimus,
Vastis abundans plurimisque piscibus,
Frugumque copia atque lætis pascuis.

Quem

Quem bis vicenum navigabilem ferunt
Curſu dierum; quidquid ultra extenditur
Jam navibus vadove tranſiri nequit.
Glaciale namque frigus & nix impedit.
His Cherſoneſus jungitur, quam Tauricam
Vocamus, oppidumque Græcum, conditum
Heracleotis Deliisque auctoribus.
Heracleotis quippe præcepit DEus
Intra Cyaneas incolentibus Aſiam,
Ut Cherſoneſum conderent cum Deliis.
- - a Lampadum oppido
Ad Tauricæ ſublime promontorium
Quod Arietis frontem vocant, ſunt ſtadia
Centum & viginti ad hæcce Tauricæ loca
Veniſſe dicunt Jphigeneiam plurimi,
Surrepta cum fuiſſet olim ex Aulide.
Turbis abundant maxime frequentibus
Tauri, vagamque in montibus vitam trahunt,
Crudelitate cædibusque barbari,
Ipſum ſceleribus impiis numen colunt.
Quidquid ab Athanæone poſtea ad Cytas
Procurrit, id Scythæ tenent. Hinc Boſporus
Cimmerius, oppidumque Cimmericum jacet
Ubi navibus portus, ruentibus
Ventis ab Occidente; contra prominent
Quæ inſulæ ſaxoſæ at exiguæ, parum
A continente diſſitæ -
Ipſum paludis ad oſtium Mæotidis

Extre-

Extrema Panticapæa civitas jacet,
Quæ Bospori cognominatur regia
Ultra Scytharum regio vasta, & barbara
Procurrit ad terram incolarum nesciam.
Cunctisque Græciæ incolis incognitam.
Sed Ephorus Istrum Carpidas primos refert
Accolere; proximos Aratores sequi;
Neurutas hinc ad frigidam terræ plagam.
Si versus ortum quis Borysthene exeat,
Illum Scythas offendere Hyblam qui colunt:
Quos gens Georgorum deinceps excipit.
Rursumque vastas solitudines sequi,
Scythasque qui vescuntur hominum carnibus:
Hinc rursus alias esse solitudines.
Utraque Panticapen paludis accolas,
Aliosque plures nomine haud notos suo,
Vulgus Nomadicos dicit, usque adeo admodum pios,
Ut nec animantibus afferant injuriam:
Plaustrisque ut asserit vagas trahunt domos,
Et more Scythico lacte aquarum victitant.
Et de bonis vitam communibus agitant,
Opes cunctas publicas cunctis habent.
Ex his Nomadicis, gente quam piissima,
Anacharsis ortus dicitur, sapiens homo.
- - horumque nonnullos ferunt
Fixisse sedes in Asia, quos & Sacas
Vocant.

Vocant. Sed omnium quidem clarissimi
Sauromatæ habentur, ac Geloni & tertium
Genus, Agathyrsi, qui vocantur proprie.
Mæotis autem postea palus jacet,
Mæotica de gente nomen obtinens.
Miscetur illi Tanais amnis, qui capit
Originem suam ex Araxe flumine;
Vel ut Ephorus ait, ex palude quapiam,
Cujus nequit quisquam explicare terminum.
Sed ostio dictam paludem duplici
Mæotin intrat Cimmericumque Bosporum.
Nam Bosporum paludis ostium vocant.
Sed Tanain, Asiam terminus qui seperat
Hinc inde utramque continentem dividens,
Primi qnidem ad bis mille stadia sarmatæ
Juxta accolunt - - - -
Post Sarmatas deinde gens Mæotica.
Jazamatæ sequuntur, ut Demetrius
Refert, ab hisce dicta Mæotis fuit;
Vel Sauromatarum gens, ut Ephorus au-
- - - ctor est.
Olimque commixtas Amazonas ferunt
His Sauromatis fuisse: quæ devenerant
Huc post peracta ad Thermodontem prælia.
Cognominatos unde sauromatas volunt
Gynæcocratumenos - -

Asia.

Ad oris exitum sita est urbs Cimmeris,
A Cimmeriis quidem vocata barbaris,
Sed â Tyrannis Bosporanis condita:
Milesiorum Cepus hic colonia est.
Hinc sequitur Hermonossa, Phanagoreaque,
Quam condidisse Teios quondam ferunt:
Portusque sindicus colonos obtinens
Græcos, propinquis confluentes ex locis.
Has civitates comprehendit Insula
Mæotin adjacens ad usque Bosporum,
Patentium complexa camporum æquora:
Paludibus partimque fluviis invia,
Tenacibusque littore adversó vadis:
Quæ Pontus hinc & ist hinc efficit palus.
- - moribus Mossynœci
Et legibus factisque plane barbari:
Nam ligneas feruntur editissimas
Habitare turres, inque luce publica
Res quaslibet peragere: tum regem suum
Vinclis ligatum, & turce clausum sedulo
Servare, qui tabulas supremas occupat:
Custodibus verô laboris id dari,
Quæcunque jusserit recte facto exsequi:
At si qua peccet pœna fertur maxima.
Hæc sumi ab illo, quod cibus subducitur.
- - Cerasus civitas

Ex

Exſtructa ab ipſis cum jaceret diruta
Cui Martis inſula, ut vocant obtenditur.
Ab oppido Cotyoro ad usque Polemonium
Junctis agris coluere Tibareni prius,
Qui riſui modis ſtudebant omnibus,
Felicitatem eam putantes maximam
In Leucoſyrorum Amiſus jaçens
Regione, Phocœenſium colonia,
Exſtructa quadriennio ante Heracliam
Jonica de gente traxit originem.
Quo ferme ab oppido Aſia conſtringitur
Arctiſſima cervice ad Iſſicum Sinum
Urbemque, quæ nomen tulit Alexandriæ
A conditore Macedone: hinc in Ciliciam
Septem dierum fert iter, non amplius.
Nam fertur Aſia anguſtiis arctiſſimis
Ad Iſſici ſinus receſſum comprimi.
Herodotus autem, dum dierum quinque ait
Ex Cilicia ad Pontum viam perducere
Falli videtur. Quindecim hanc Peninſulam
Gentes colunt: in hiſce tres Græcanicæ;
Aeolica, deinde Jonica atque Dorica.
At ceteræ provinciæ ſunt barbaræ
Promiſcuæ & Cilices quidem, cumque Lyciis
Macares Mariandeniſque poſſident loca
Maritima, Paphlagonesque cum Pamphyliis:
Interna Chalybes, proximusque Cappadox,

Et Pisidicæ regionis incolæ tenent,
Lydique cum Mysi deinceps & Phryges.
Verum sinope nomen ex Amazonum una
trahit;
Fuitque regio proxima.
Quam possidebant nobiles quondam Syri,
Deinde Græci, quotquot huc Amazonas
Bello petentes venerant: Autolicus &
Cum Deleonte Phlogius, ortu Thessali.
Excepit hos Ambron genere Milesius:
A Cimmeriis sublatus iste creditur.
Post Cimmerios Cous, deinde & Critines,
Quos exsulatum miserant Milesii.
Hi condiderunt civitatem maxima
Cum Cimeriorum turba vastaret Asiam.
His socis Phineus Tyrio satus
Phœnice ferrur imperasse: postea
Milesiorum classis ex Jonia
Huc appulisse, & condidisse hæc oppida:
Conjuncta quæ deinde Amastrin transtulit
Cognominem sibi hoc loco urbem construens
Amastris: Oxathræ quidem quam Persici
Gnatam fuisse fama constans prodidit;
Dionysii verô exstitisse conjugem
Heracleæ Tyranni
Parthenius amnis navium
Ca-

Capax fluento labitur placidissimo
- - Dianæ prædicat
In hoc lavacrum fama limpidissimum.
- - Heracleam
Bœota gens simulque Megarenses struunt
Intra Cyaneas; huc profecti ex Græcia,
Cum sceptra Cyrus obtinebat Mediæ.
- - Sangarius amnis ex locis
Sitis super Thynos Phrygasque labitur,
Et transiens per Thyniam subit Mare.

Monendum heicetiam esse censeo, me heic tam enihil addidisse de *Cavitatibus subterraneis* in Divisione Naturali; non aliam oc causam, quam quod parum aut nihil certi constat. Dari autem homines subterraneos, eo sensu, ut ab habitaculis suis subterranei dicantur, non autem â peculiari quodam & â ceteris hominibus diverso charactere, negari fortassis non potest. Differit de hisce talibus KIRCHERUS *M. S. L. IIX. c. III. fere hunc in modum*: Civitates subterraneas Gaffarellus in ,, suo, de Cryptis toto orbe celebribus, libro ,, fusè describit: Cujus rei veritatem non cre- ,, didissem, nisi ego hujusmodi habitationes ,, tribus in locis propriis oculis lustrassem: ,, Cum enim anno 1637. Melitæ commora-

„ rer, contigit, ut quodam die cum *Ordi-*
„ *nis Hierosolymitani Magistro* JOANNE LA-
„ SCARI, in villam quandam amœnitate &
„ deliciis refertam, quam Buschettam vo-
„ cant, concederem: Ubi cum de natura &
„ proprietate Insulæ variis ratiociniis ultro-
„ citroque actum fuisset, addidit dictus *Mag-*
„ *nus Magister, esse in vicino colle habitationem*
„ *subterraneam hominum sibi subditorum, seque*
„ *desiderare, ut eam adirem, lustraremque mi-*
„ *ram hominum in adornandis subterraneis isti-*
„ *usmodi specubus, disponendisque habitaculis*
„ *industriam*; & cum nil mihi gratius con-
„ tingere posse dicerem, adjuncto mihi du-
„ ce viæ cryptarumque perito, habitationem
„ accessi, quam Arabica Lingua Indigenis
„ Insulæ domestica & familiari *Ghaar Kebir*,
„ id est speluncam magnam vocant. Ingressus
„ itaque portam principalem longè latèque
„ patentem plenam hominibus utriusque se-
„ xus pueris puellisque rusticorum more ve-
„ stitis reperi, & tametsi confuse inter se ha-
„ bitare viderentur, singulæ tamen familiæ
„ propria sibi receptacula seu recessus, sivè
„ arte sivè natura factos possidebant; intra quæ
„ per alias aliasque cellulas pulchra distribu-
„ tione facta, alimentorum differentes spe-
cies

„ cies condere ſolebant; hic lectus intra ru-
„ pem inciſus, illic panibus caſeisque col-
„ locandis apti loculi, alibi vaccarum, pe-
„ corum aſinorumque ſtabula, quin & gal-
„ linarum nidi comparebant; non deerant
„ vaſa fictilia ad aquam ciſternarum loco
„ continendam ſatis capacia: cæparum allio-
„ rumque prælongæ catenæ, veluti corym-
„ bi quidam parietes exornabant, aderant
„ & fornaces coquendis panibus oportunæ,
„ quibus ſubterraneis cryptarum habitaculis
„ lumen per rimas ſcopulorum ac foramina
„ in hunc uſum ea induſtria facta, ut nec plu-
„ via nec ventus facilè iis nocere poſſet, al-
„ labebantur; fornaces quoque ſuos habe-
„ bant caminos, ne accenſo igne, ſine ca-
„ mino, fumo per cryptas diffuſo ſuffoca-
„ rentur; Interdiu tùm ruſtici extra cryptam
„ laboribus exercebantur, tùm neceſſaria ad
„ vitam ſuſtentandam in vicinis locis procu-
„ rabant, mulieres colo, caſeis faciendis,
„ ſimilibusque fœminis propriis laboribus de-
„ ſtinabantur: & quoniam lignis carebant,
„ eorum loco excrementis jumentorum ad
„ ſolem exſiccatis ignem fovebant: homi-
„ nes utriusque ſexus prægrandi ſtatura, ro-
„ buſti & Macrobii adusque decrepitam æta-

„ tem vivere dicebantur, & quod mirum est, „ fœminæ non invenustæ formæ. Adeo au- „ tem cryptarum suarum desiderio tenentur „ ut siquando eos vel vendendi di res suas, vel „ comparandi alia necessaria Melitam adeun- „ di necessitas urgeret, ibidem tanquam exi- „ lio quodam damnati, vix teneri posse vide- „ rentur, quin statim expeditis negotiis cryp- „ tas suas repeterent, dum ne quidem unica „ nocte ab iis sese removeri paterentur. Car- „ nibus vaccarum, pecorum, gallinarum „ prorsus abstinebant, utpote quas in lucrum „ tantùm venditione factum reservabant, pa- „ ne, caseo, lacte, cæpis, allio herbisque „ contenti. *Magnus Magister*, ut veritatem „ experimento mihi commonstraret, men- „ sam sterni jussit, in qua ex una parte, „ omnis generis carnes, & quidquid tandem „ ex opiparo & magnifico sanè prandio su- „ perfluum fuit cupediarum; ex altera case- „ um, cæpas, allia, caules & pulmenta, quos „ *Maccarones* vocant, poni præcepit, voca- „ tosque *Troglodytas* suos, quos ad culinæ „ serviendum ex cryptis accersiri curabat, „ mensæ assidere jussit: qui mox relictis car- „ nium deliciis, iisque ne tactis quidem, ad „ cibos illos, quibus assueverant, quibusque liben-

„ libenter vefcebantur, converfi, plenis pu-
„ gnis & canina quadam aviditate devora-
„ bant. Atquæ hæc paulo fufius defcriben-
„ da duxi, ut ex iis reliquorum fubterraneo-
„ rum hominum indolem Lector cognofce-
„ ret; & proinde non falfa videantur, quæ
„ de *Troglodytis* ad mareErythræum infra ter-
„ ram habitantibus, fane admiratione dig-
„ niffima fcribit *Solinus*, *Plinius & Aelianus.*
„ Eft Melitæ Infulæ vicina, *Gaulos*, vulgô
„ *Gozo* nuncupata, in qua fimilem prorfus
„ cryptam hominibus refertam reperi, eo-
„ dem, quo fupra memorati, ritu viventes;
„ in utraque Infula, Linguâ Arabicâ purâ
„ fine ulla Italicæ linguæ alteriusve mixtura,
„ utuntur; Unde *Maronitæ* in montem Li-
„ banum reduces, dum Melitæ oportunita-
„ tem temporis exfpectant, fæpe eos adire
„ folent, ut iis miffam in Arabica lingua le-
„ gant, doctrinam Chriftianam exponant,
„ non enim barbari funt, neque privati fide
„ Catholica, fed fumma cum devotio-
„ ne fuas quotidie orationes peragunt,
„ precatorios globulos continuô volvunt,
„ miffam in viciniori pago fingulis feftis au-
„ diunt: habent & in fuis Cryptis Crucifixi
„ & Beatæ Virginis imagines decenti loco

d 5 expo-

„ expoſitas. . Dum anno 1659. Hetruriam „ luſtrarem, contigit, ut quodam tempore „ Agrum Viterbienſem examinaturus pra- „ tum quoddam tranſirem, in quo hinc in- „ de perpetui fumi exhalabant: Ego veluti „ ad tale ſpectaculum attonitus, ſulphureas „ foſſas ibidem eſſe rebar: Comitem itaque „ interrogavi, ut quid iſtius modi fumi præ- „ tenderent ſignificaret; hic ſubridens dixit: „ hi, quos vides fumos non ſunt terrenarum „ evaporationum, ſed ſunt fumi, qui per „ ſubterranearum habitationum caminos in „ hiſce pratis exitum ſuum ſortiuntur, & „ ſtatim mihi poſt nonnullum ſpatium oſten- „ dit oſtium, per quod in dictas Cryptas „ aditus patebat; intravimus itaque, & non „ ſecus ac de Melitenſium Troglodytarum „ Cryptis omnia diſpoſita reperimus: Cuni- „ culis ſedilibus, loculis in vivo ſaxo exciſis, „ multo Melitenſi amplioribus; Pagus nam- „ que ſubterraneus erat, quem Meonianum „ vocant, ſub Juriſdictione Excellentiſſimi „ Principis Camilli Pamphilii: Eccleſia ex- „ tra conſpiciebatur; Indigenæ omnes Agri- „ culturæ operam dabant. Sed hæc fuſius „ in Hinnerario noſtro Hetruſco proſecuti ſu- „ mus, quo lectorem curioſum remitto. At-

que

„ que hæc uti oculis meis lustravi, ita quo-
„ que paulo fusius deducenda duxi; ut si ali-
„ bi locorum, de quo non dubito, similes
„ habitationes ferantur existere, eas non alio,
„ quam dixi, modo constitutas esse Lector
„ cognoscat: nam ubique fere locorum simi-
„ les reperiri Geographicarum Historiarum
„ auctores sat superque testantur. In Idalca-
„ nis Regno Indiæ plerosque tum Brachma-
„ nes in monte Pagodum tum plebejos in
„ subterraneis meatibus habitare Annuæ so-
„ citatis nostræ docent. In Africa ad mon-
„ tesLunæ in intimis montium recessibus ho-
„ mines contra solaris æstûs vim vitamdege-
„ re P. Petrus Pais narrat. Quod idem as-
„ serit de Maris Caspii montibus teste Mar-
„ co. P. Veneto referta sunt. Non dicam
„ hic de subterraneis Romanæ urbis cryptis,
„ ubi tot Sancti Martyres unâ cum Pontifi-
„ cibus sanctis persecutionis tempore deli-
„ tuernnt, de quibus Lector Romam subter-
„ raneam consulat. Sed magis mira est, quam
„ de hominibus ejusmodi mox subjicit Hi-
„ storiam ex Guil. Neubriss. in rerum An-
„ glic. revolutionibus Lib. I. c. XXVII. p. 91.
„ Ita autem, inquit: Pagus est in Occiden-
„ tali Anglia, quatuor aut quinque millia-
ribus

„ribus â nobili monasterio S. Edmundi Re-
„gis & martyris dissitus, juxta quem non-
„nullæ antiquissimæ speluncæ spectantur,
„quas vulgari lingua Wulfputes; id est Lu-
„porum latibula vocitant, â quibus & pa-
„gus supra memoratus nomen suum obtinu-
„it; Ex quarum specuum una, tempore
„æstivo, quo rustici segetibus metendis ope-
„ram dant, duo pueri toto corpore viridi
„tincti colore, incognita ad hæc vestium ma-
„teria tecti eruperunt. Cum itaque hinc
„inde ex novi cœli intuitu veluti cæcutien-
„tes, per campos aberrant, tandem â mes-
„soribus capti in pagum, magno hominum
„ad tam inusitatæ rei spectaculum attoni-
„torum confluxu ad ducti sunt, ubi ad non-
„nullos dies sine omni cibo vixerunt, neque
„ut ex iis cibis, quibus pagus vesci solebat,
„quidquam sumerent, induci potuerunt;
„adeoque paulatim deficientes de vita con-
„grui nutrimenti defectu periclitarentur.
„Contigit autem ut eodem tempore quidam
„curru fabis onusto pertransiret, quas simul
„acviderunt, statim pleno impetu currum
„involantes, cum apertis scaphis nihil repe-
„rirent, suam miserabilem sortem copiosa
„lacrymarum effusione unâ ejulatui juncta
conte-

„ contestati sunt; postquam verô indigenæ „ fabas illos appetere cognoverunt, statim „ recentes fabas illis apposuerunt, quas ma„gno gaudio & veluti proprium ipsorum „ nutrimentum summa aviditate comede„runt; atque exinde nonnullis mensibus nul„lo alio præterquam dicto nutrimento usi „ sunt, usque dum paulatim panis esu assue„scerent: postquam verô nostris cibis pau„latim assueti essent, ecce viridis, quo im„buebantur, color sensim in cæterorum ho„minum colorem abire visus est; deinde sa„cro baptismate initiati, idioma anglicum „ didicerunt; masculus, qui fœmina junior „ credebatur, statim sacro suscepto lavacro „ extremum diem obiit; soror verô ejus, „ quæ in nullo quoad corporis proportionem „ â cæteris fœminis differebat, diu supervi„xit, & uti fertur, juxta Lennam matri„monio copulata non ita pridem adhuc vi„xisse dicitur. Cum verô jam linguam An„glicam didicisset, & interrogata, quænam „ & undenam esset, respondit, homines sese „ esse ex regione S. Martini, ubi maximus „ ejus cultus rigeret, & cum ultra interro„garetur, ubinam terrarum illa regio existe„ret, & quomodo in hanc nostram regio-

nem

„ nem emersissent; respondit, nescire se,
„ hoc tantum recenti se memoria tenere,
„ cum quodam tempore patris eorum peco-
„ ribus pascendis invigilarent, percepisse se-
„ se sonitum quendam similem illi, qui in
„ S. Albani Templo hujus loci campanarum
„ complosione datur, & cum in solito hoc
„ sono attoniti ulterius progrederentur, tan-
„ dem sese in eo, quo capti fuerant, campo re-
„ perisse. Et cum rursus interrogaretur:
„ An in memorata regione in Christum cre-
„ derent, & an sol illis unquam alluceret;
„ respondit ad primum, Regionem esse Chri-
„ stianam & templis instructam; ad secun-
„ dum dixit: solem nunquam nec Orientem
„ nec occidentem ab iis videri; neque ullis
„ radiis solaribus illuminari: sed luce qua-
„ dam dubia se frui, eo ferê modo, quo
„ ante Solis ortum, aut post ejusdem Occa-
„ sum, crepusculorum tempore, nobis mo-
„ do hic apparet: distare verô non procul in-
„ de regionem multo clariorem â sua regione
„ haud exigui fluminis latitudine distermi-
„ natam. Hæc & similia de præfata subter-
„ ranea regione mulier, prout recordabatur,
„ retulit. Unicuique suum de hac Historia
„ judicium relinquo; certe hanc tam ad-
mira-


„ mirabilem Hiſtoriam me conſcripſiſſe non „ pœnitet; Contigit autem hic mirabilis e„ ventus ſub Rege Stephano Anno 1140. Fa„ teor diu multumque me de ſimili caſu ſu„ ſpenſum hæſiſſe, donec tot tamque con„ ſpicuis hominum fide digniſſimorum teſti„ moniis convictus ita rem ſeſe habere cre„ didi, miratus illud, quod ratio minime „ capere videbatur. Hucusque Neubriſſen„ ſis. „ *Hæc res tamen ſuo loco relicta ſit. Quo„ modo homines in ſubterraneas tales regiones „ delati fuerint, ita enarrat*: Potuiſſe id con„ tingere, primo peſtis bellorumque ſævi„ entium tempore, quo plerique homines „ fuga vitæ ſuæ conſulturi, in abdita quævis „ altiſſimorum montium antra, veluti in tu„ tum Aſylum contra hoſtium inſidias, ſe „ recipere, & ne ibidem neceſſariarum re„ rum defectu pereant & pecora, vaccas, „ panem, ſemina, legumina, & quid„ quid tandem ad vitam ſuſtentandam „ neceſſarium eſt, una ſecum abducere ſo„ lent; quod experientia frequens in ſupe„ riorum temporum tumultibus, queis Ger„ mania ſubdita fuit, ita manifeſtum fecit, „ ut de eo dubitare amplius nemo poſſit. Si„ mili itaque caſu perſecutorum, (ſ. v. v.)

ſævi-

„ ſævitiam fugientes primi illi homines, in
„ eo ſecryptarum Labyrintho abſconderunt,
„ âquo expedire ſeſe non potuerunt,& quan-
„ to deinde exitum ſolicitius quæſivere, tan-
„ to magis magisque ſeſe intricaſſe veriſi-
„ mile eſt, donec in hanc longè latèque pa-
„ tentem ſubterraneam regionem ingreſſi,
„ non ſine divina diſpoſitione, dura neceſ-
„ ſitatis lege remanere coacti fuerunt. Idem
„ ſane Judæis in inacceſſis montium Caſpio-
„ rum recesſibus concluſis accidiſſe conſtat.
„ Annon in montibus Hiſpaniæ tempore
„ Philippi III. Regis, novam hominum colo-
„ niam detectam legimus, qui quo caſu ne-
„ ſcitur ſimili haud dubiè occaſione, eô ſe
„ contulerant, & multorum annorum cen-
„ turiis ſine alio ceterorum hominum com-
„ mercio, lingua ab Hiſpanica multum dif-
„ ferenti, in eum usque diem ignoti omni-
„ bus manſerunt, donec regione â Venato-
„ ribus detecta incolæ omni vitæ morumque
„ cultu deſtituti â Societatis noſtræ Patribus
„ ad meliorem frugem converſi, jam â cete-
„ ris nihil differant, „ Granzius quoque nar-
rat, in Tranſylvania anno 900. ſimile genus
hominum ê montium meandris erupiſſe, qui
totam regionem ex omni parte cultam dein-

de

de incoluerint. Jnnumera hisce similia Lector curiosus reperiet, si varias orbis revolutiones consuluerit; dum enim homines turbinibus malorum pressi sunt, abditas montium latebras contra hostium violentiam immunes quærere coacti, ibique multo tempore commorantes, tandem locis cum tempore assuefacti ibidem restiterunt. Hæc tumultuarie dicta sunto, tanquàm *Geographiæ præcognita*; nunc pergendum ad rem ipsam.





GEOGRAPHIA GENERALIS

sive

Descriptio Globi Terrestris

aquâ permisti.

CUm nulla sit litterarum Disciplina, de quâ non tàm variæ sint doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, ut certum quid satisque exploratum atque cognitum planè nihil possit reperiri: minime mirum esse reor, etiam illos, qui in emetiendo terræ spatio, & dijudicando cœli ordine sunt occupati, tanta in varietate ac dissensione esse constitutos, ut molestum sit eorum annumerare sententias. Verissima nimirum experimur esse verba divinioris in S. Scriptura Spiritus, quibus nostram angustis coarctatam terminis arguit intelligentiam, innuens: Ea nos vix nostro attingere ingenio, quæ in terra sint & in nostris versentur manibus; quis, quæso! mortalium pervestigare possit ea, quæ sint in cœlo & â nostris longe remota sensibus?

Quod verô maximê rem causamque continet, est: utrum Sol qui diem efficit, circa

ca Terram volvatur; an ê contrario Terræ globus ſemet ipſum moveat, conſiſtente ſemper in cœlo ſole? Nam quæ ſunt alia huc pertinentia, de toto ſcilicet ſiderum complexu, de ſingulis ſideribus ſeparatim conſideratis, aliiſque aliorum opinionibus, non omninò, attamen ex parte diſſentientibus, hoc loco diſſerere non lubet, quoniam inſtituti ratio non poſcit. Multum autèm in utramque partem diſputatur â peritiſſimis Mathematicæ Diſciplinæ Doctoribus, quos in duas potiſſimùm diviſos eſſe partes novimus, quorum alteri *Copernicanæ ſententiæ*, quæ Solis circa terram motum abnuit, ſuum adjiciunt calculum; alteri verò cum *Tychone* conſentiunt, & Terræ motum denegant, ſolem contra ſemet in gyrum moventem faciunt. Habes itaque præcipuos ſententiarum Auctores. Taceo enim vulgatiſſimam æque ac antiquiſſimam Aritotelis & Ptolomæi, aliorumque multorum, qui iſtos tanquam auctores ſecuti ſunt, opinionem, quæ nimirum fixas ſtellas omnes uni eidemque orbi ſolido ſive cryſtallino, ut ſolent clavi rotis, affixas, aut potius ut muſcæ ſuccino immerſas, una cum ipſo orbe ab intelligentia quadam rapidiſſime circumacto, terram

immotam revera ambire statuit, eandemque adeo illas inter se distantiam necessariò servare, quod loco suo fixæ singulæ, non magis ad invicem accedere possent, quam clavus unus ad alterum in rotæ circumferentia; de quo videri potest *Sturmius.*

Cum verô non tam auctoritatis in pervestiganda veritate, quàm rationis momenta quærenda sint, suum quilibet adhibeat judicium necesse est, ne præjudicata nos in errorem inducat opinio. Quidquid verò attigeris, ulcus erit; quod verô ex iis melius curari possit Lectoribus dijudicandum relinquo. Nam si Tychonis de Brahe sententiam adoptaveris, ut cœlum cum sideribus circa terram agi credas, terram autem ipsam semper immotam stare, idque multis oraculis ê sacra Scriptura petitis probare nisus fueris, habebis adversarios Copernici asseclas longê acerrimos, qui sacram Scripturam ad vulgi captum eundemque erroneum semet adcommodare dicunt. Nec quidquam profeceris, nec â conceptâ semel opinione mentem eorum abstraxeris, si divinæ auctoritati sacrarumque litterarum veritati multùm detrahi Copernicani inventis demonstraveris; licet ea quidem mente id non faci-

faciant, ut consulto semet injurios in Deum Deique verbum exhibere velint. Hoc autem potissimùm Copernicana sententia nititur fulcro, quod tanquam Marpesiam cautem stare, nec ullo vinci argumento posse sibi persuadent. Terram, *inquiunt*, magnitudine solis multum omninò superari, prorsus ut nullâ ratione concipi queat, tam immensæ magnitudinis corpus circa terram ferri, cum è contrariô terra longè faciliori motu circa axim suum volvi possit. Dico autém heîc tantùm de Sole ejusque magnitudine, nulla siderum aliorum habita ratione, quæ tamen una volvi atque circumagi deberent mirabili & inaudita quadam velocitate. Quoniam autem non in animo est, penitius in Astronomiæ disciplinam penetrare, nec ulla necessitas postulet, ut agatur prolixius, taceo ea, quæ de reliquis afferri possunt sideribus, quæ tamen simul considerata Copernicanorum sententiæ multum ponderis addunt atque valoris. Monendum verô heîc est, ne quid partium studio tribuere videamur, Mathematicorum de Magnitudine solis, respectu ad Terram habito, sententias toto distare cœlo, tamque â semet ipsis diffidere, ut magno argumento

esse debeat, tubis ad veritatem hanc explorandam præparatis vehementer falli posse illorum oculos.

Ast etiam hoc confitendum est Tychonem de Brahe, qui Terræ quietem, præjudicatis, nescio quibus, opinionibus defendere studuerat, Solis à Terra distantiam consensu omnium Astronomorum recentiorum justo minorem fecisse, ut facile suspicari quis possit, illum ipsum jam sensisse, quantum possit & valeat istud Copernicanorum argumentum de stupenda motorum siderum celeritate desumtum. Nam quo minor Solis à Terra est distantia, eô tardiorem requirit motum, quod per se patet. Addo heîc, si cui placent auctoritatis momenta, ea quæ CHRISTIANUS WOLFIUS, insignis Mathematicus, in suis Astronomiæ Elementis historice annotavit; qui, *agnovere huncce motum Terræ*, inquit, *inter veteres Philosophi complures. Motum diurnum Telluris, Cicerone teste, primus detexit Nycetas Syracusanus; annuum circa Solem, Philolaus. Centum annis post Philolaum & amplius Aristarchus Samius clarius Systema Terræ motæ proposuit, teste Archimede. Obstitit autem Gentilium superstitio, quô minus ulterius excoleretur, & ab omni-*

omnibus Philoſophis, ſaltim ſanioribus propugnaretur. Sacrilegii enim accuſatus eſt Ariſtarchus à Cleanthe, quod univerſi lares Veſtamque loco moviſſet. Recentiori ævo Nicolaus Cuſanus motum Telluris aſſeruit: non tamen Syſtema terra mota invaluit, antequam Copernicus, ſumma ingenii vi præclarum ejus in Aſtronomia uſum apertiſſime oſtenderet, cui mox omnes Philoſophi & Aſtronomi altius vulgò litteratorum ſapientes, mentem à ſuperſtitionis labe repurgatam habentes, & extra cenſuræ Eccleſiaſticæ pericula conſtituti acceſſere, ita ut Keplerus ſuo jam tempore ſcribere potuerit: H[illegible]ierno tempore præſtantiſſimi quique Phil[illegible]horum & Aſtronomorum Copernico adſtip[illegible]ur: Secta eſt hæc glacies, vincimus ſuffragiis melioribus, cæteris pene ſola obſtat ſuperſtitio aut metus à Cleanthibus; & vir ſummus, Chriſtianus Hugenius confiteatur: Omnes nunc Aſtronomos, niſi vel tardiore fuerint ingenio, vel hominum imperio obnoxiam habeant credulitatem, motum telluri, locumque inter planetas absque dubitatione decernere.

Habes itaque Copernicanorum ſententiam, quos magnitudo ſolis, quâ terram longe ſuperat, impedit, quo minus ſoli motum attribuant: cum è contrario Tychonis de

 Brahe

Brahe asseclis sacra Scriptura impedimento sit, quo minus terram faciant semet ipsam moventem, idque mordicùs teneant atque defendant, contra Dei divinique verbi auctoritatem esse, ea præscribere, notumque facere id, quod revera tamen non ita se habeat; id quod nihil aliud esse dicunt, quam destinato consilio, alios in errorem inducere erroremque in æternam propagare posteritatem. Id quod dubium alios, quibus Copernicana sententia magis arrisit, verbi divini autem veritati nihil demtum voluerunt, excitavit ad quær ndam aliquam veritatis speciem, ita ut sider quidem stare immota, terramque volvi, nec tamen positis hisce omnibus sacram obstare Scripturam contenderint sequentibus utentes argumentis: *Verborum*, inquiunt, *omnium in omnibus omninò linguis, si primam eorum species originem, sensum esse desumtum ab animæ perceptionibus, prout illas objecta menti stiterint: inde fieri, ut ab omnibus gentibus, illa quæ in Sole animadvertatur obscuratio, Lunæ interventu, Vocetur Solis obscuratio, nostrâ vernacula,* eine Sonnen-finsternus / *cum tamen nemo dubitarit unquam, quin terra obscuretur, cum Luna officiat, quo minus solis radii ad terram pertingere* cam-

eamque luce ſua complere poſſint. Ita pari modo etiam accidere, ut cœlum circa terram ferri, terram autem perſiſtere ſuo loco dicant, cum nihil aliud ſenſibus externis percipere queant homines; iſtam tamen motus ſolis & immobilitatis terræ denominationem rei veritati nihil addere, demere nihil; nec tamen vituperari poſſe ſenſus, ac ſi noſtram fallerent mentem, verùm interni ſenſus eſſe culpam, cum in re ulterius perveſtiganda nulla adhibeatur ratio; non igitur è ſacro codice petendum eſſe argumentum ad probandam moti ſolis immotaque terræ veritatem, cum non utatur verbis, niſi incolarum terræ ſenſibus aptis: quare illis, qui Copernicanam tueantur ſententiam, non illam impoſitam eſſe necesſitatem, ut probent, ſacrum codicem hominum captui magis, quam veritati ſemet adcommodare, ſecundum erroneam vulgi opinionem eſſe inſtitutum.

Audiendus eſt etiam alius quispiam, qui tribus hiſce Mediis terminis rem omnem poſſe dijudicari, & omnia ſacræ Scripturæ oracula ad illos examinari contendit; nimirum: *ſi S. Scriptura in tractandis rebus Aſtronomicis aut Mathematicis utatur ejusmodi terminis, quos nec prudentisſimus evitare nec maxime eruditus immutare posſit, non loqui illam ad*

Si autem rem omnem contemplamur animo, reperimus triplicem esse rationem, cur distinguatur Terrarum orbis, quarum una MATHEMATICA, altera PHYSICA seu NATURALIS, tertia POLITICA. Præmissis autem hisce rationibus facile intelligere possumus, dari Triplicem quoque Geographiæ Definitionem, cum una *Mathematicam*, altera *Physicam*, tertia *Politicam* nobis suppeditare queat notionem; facilis autem & perspicua erit earum unaquæque, quando triplicem illam explicaverimus rationem. Interim communi Idearum complexu, Geographiam vocabimus notitiam Orbis Terrestris aquâ permisti, prout illum vel ipsi agnovimus, vel aliorum relatione accepimus. Illarum autem trium *Divisionum*, à Geographis receptarum, quid sibi unaquæque velit, breviter inquiremus.

DIVISIO ORBIS
MATHEMATICA.

I.

JAm si primam orbis Terrarum Affectionem consideramus, quæ *Figuram* illius respi-

reſpicit, quæſô quanta, quamque horrida de ea Philoſophi ediderunt ſententiarum monſtra atque portenta; quæ quidem una cum auctoribus ſuis jam dudum exſpiraſſe manifeſtum eſt. Homines nulla Geometriæ, nullaqueGeographiæ cognitione imbuti ſenſibus externis, uti plerumque fit, rem æſtimandum eſſe judicarunt; hinc terram latiſſima planitie circumquaque exporrectam jacere crediderunt, & adhuc credunt fortaſſis iſtiusmodi homines, de hiſce rebus minimè ſolliciti, & terminum tandem, (quoniam tamen aliquando finiri debeat,) Lineam aliquam Circularem ſibi ſunt imaginati, & quæ ſunt alia valdè ridicula & nimiùm abſurda.

II.

Non miror homines, qui nullas unquam didicerunt litteras, ſolisque ſapiunt ſenſibus, abſurdam hancce Orbis Terrarum figuram ſibi finxiſſe; verùm hoc quî fieri potuerit, ut & Philoſophi ad ineptas hujusmodi opiniones delapſi ſint, non video. Fuerunt enim LACTANTIUS *aliique* PATRES in hoc errore, ut crediderint, terram infinitis radicibus deorſum extendi, eamque fundari fundamento neſcio quo, acriter defenderint.

Eos

GEOGRAPHIA GENERALIS

sive

Deſcriptio Globi Terreſtris

aquâ permiſti.

CUm nulla ſit litterarum Diſciplina, de quâ non tàm variæ ſint doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiæ, ut certum quid ſatisque exploratum atque cognitum planè nihil poſſit reperiri: minime mirum eſſe reor, etiam illos, qui in emetiendo terræ ſpatio, & dijudicando cœli ordine ſunt occupati, tanta in varietate ac diſſenſione eſſe conſtitutos, ut moleſtum ſit eorum annumerare ſententias. Veriſſima nimirum experimur eſſe verba divinioris in S. Scriptura Spiritus, quibus noſtram anguſtis coarctatam terminis arguit intelligentiam, innuens: Ea nos vix noſtro attingere ingenio, quæ in terra ſint & in noſtris verſentur manibus; quis, quæſo! mortalium perveſtigare poſſit ea, quæ ſint in cœlo & â noſtris longe remota ſenſibus?

Quod verô maximê rem cauſamque continet, eſt: utrum Sol qui diem efficit, circa

ca Terram volvatur; an ê contrario Terræ globus ſemet ipſum moveat,conſiſtente ſemper in cœlo ſole? Nam quæ ſunt alia huc pertinentia, de toto ſcilicet ſiderum complexu, de ſingulis ſideribus ſeparatim conſideratis, aliisque aliorum opinionibus, non omninò, attamen ex parte diſſentientibus, hoc loco diſſerere non lubet, quoniam inſtituti ratio non poſcit. Multum autèm in utramque partem diſputatur â peritiſſimis Mathematicæ Diſciplinæ Doctoribus, quos in duas potiſſimùm diviſos eſſe partes novimus, quorum alteri *Copernicanæ ſententiæ*, quæ Solis circa terram motum abnuit, ſuum adjiciunt calculum; alteri verò cum *Tychone* conſentiunt, & Terræ motum denegant, ſolem contra ſemet in gyrum moventem faciunt. Habes itaque præcipuos ſententiarum Auctores. Taceo enim vulgatiſſimam æque ac antiquiſſimam Aritotelis & Ptolomæi, aliorumque multorum, qui iſtos tanquam auctores ſecuti ſunt, opinionem, quæ nimirum fixas ſtellas omnes uni eidemque orbi ſolido ſive cryſtallino, ut ſolent clavi rotis, affixas, aut potius ut muſcæ ſuccino immerſas, una cum ipſo orbe ab intelligentia quadam rapidiſſime circumacto, terram

faciant, ut consulto semet injurios in Deum Deique verbum exhibere velint. Hoc autem potissimùm Copernicana sententia nititur fulcro, quod tanquam Marpesiam cautem stare, nec ullo vinci argumento posse sibi persuadent. Terram, *inquiunt*, magnitudine solis multum omninô superari, prorsus ut nullâ ratione concipi queat, tam immensæ magnitudinis corpus circa terram ferri, cum ê contrariô terra longè faciliori motu circa axim suum volvi possit. Dico autém heîc tantùm de Sole ejusque magnitudine, nulla siderum aliorum habita ratione, quæ tamen una volvi atque circumagi deberent mirabili & inaudita quadam velocitate. Quoniam autem non in animo est, penitius in Astronomiæ disciplinam penetrare, nec ulla necessitas postulet, ut agatur prolixius, taceo ea, quæ de reliquis afferri possunt sideribus, quæ tamen simul considerata Copernicanorum sententiæ multum ponderis addunt atque valoris. Monendum verô heîc est, ne quid partium studio tribuere videamur, Mathematicorum de Magnitudine solis, respectu ad Terram habito, sententias toto distare cœlo, tamque â semet ipsis diffidere, ut magno argumento

esse debeat, tubis ad veritatem hanc explorandam præparatis vehementer falli posse illorum oculos.

Ast etiam hoc confitendum est Tychonem de Brahe, qui Terræ quietem, præjudicatis, nescio quibus, opinionibus defendere studuerat, Solis â Terra distantiam consensu omnium Astronomorum recentiorum justo minorem fecisse, ut facile suspicari quis possit, illum ipsum jam sensisse, quantum possit & valeat istud Copernicanorum argumentum de stupenda motorum siderum celeritate desumtum. Nam quo minor Solis â Terra est distantia, eô tardiorem requirit motum, quod per se patet. Addo heîc, si cui placent auctoritatis momenta, ea quæ CHRISTIANUS WOLFIUS, insignis Mathematicus, in suis Astronomiæ Elementis historice annotavit; qui, *agnovere huncce motum Terræ*, inquit, *inter veteres Philosophi complures. Motum diurnum Telluris, Cicerone teste, primus detexit Nycetas Syracusanus; annuum circa Solem, Philolaus. Centum annis post Philolaum & amplius Aristarchus Samius clarius Systema Terræ motæ proposuit, teste Archimede. Obstitit autem Gentilium superstitio, quô minus ulterius excoleretur, & ab omni-*

omnibus Philosophis, saltim sanioribus propugnaretur. Sacrilegii enim accusatus est Aristarchus à Cleanthe, quod universi lares Vestamque loco movisset. Recentiori ævo Nicolaus Cusanus motum Telluris asseruit: non tamen Systema terra mota invaluit, antequam Copernicus, summa ingenii vi præclarum ejus in Astronomia usum apertissime ostenderet, cui mox omnes Philosophi & Astronomi altius vulgò litteratorum sapientes, mentem à superstitionis labe repurgatam habentes, & extra censuræ Ecclesiasticæ pericula constituti accessere, ita ut Keplerus suo jam tempore scribere potuerit: I[illegible]ierno tempore præstantissimi quique Phil[illegible]horum & Astronomorum Copernico adstip[illegible]ur: Secta est hæc glacies, vincimus suffragiis melioribus, ceteris pene sola obstat superstitio aut metus à Cleanthibus; & vir summus, Christianus Hugenius confiteatur: Omnes nunc Astronomos, nisi vel tardiore fuerint ingenio, vel hominum imperio obnoxiam habeant credulitatem, motum telluri, locumque inter planetas absque dubitatione decernere.

Habes itaque Copernicanorum sententiam, quos magnitudo solis, qua terram longe superat, impedit, quo minus soli motum attribuant: cum è contrario Tychonis de

Brahe asseclis sacra Scriptura impedimento sit, quo minus terram faciant semet ipsam moventem, idque mordicùs teneant atque defendant, contra Dei divinique verbi auctoritatem esse, ea præscribere, notumque facere id, quod revera tamen non ita se habeat; id quod nihil aliud esse dicunt, quam destinato consilio, alios in errorem inducere erroremque in æternam propagare posteritatem. Id quod dubium alios, quibus Copernicana sententia magis arrisit, verbi divini autem veritati nihil demtum voluerunt, excitavit ad quær ndam aliquam veritatis speciem, ita ut sider uidem stare immota, terramque volvi, nec amen positis hisce omnibus sacram obstare Scripturam contenderint sequentibus utentes argumentis: *Verborum*, inquiunt, *omnium in omnibus omninò linguis, si primam eorum species originem, sensum esse desumtum ab animæ perceptionibus, prout illas objecta menti stiterint: inde fieri, ut ab omnibus gentibus, illa quæ in Sole animadvertatur obscuratio, Lunæ interventu, Vocetur Solis obscuratio, nostrâ vernacula,* eine Sonnen-finsternus / *cum tamen nemo dubitarit unquam, quin terra obscuretur, cum Luna officiat, quo minus solis radii ad terram pertingere eam-*

eamque luce sua complere possint. Ita pari modo etiam accidere, ut cælum circa terram ferri, terram autem persistere suo loco dicant, cum nihil aliud sensibus externis percipere queant homines; istam tamen motûs solis & immobilitatis terræ denominationem rei veritati nihil addere, demere nihil; nec tamen vituperari posse sensus, ac si nostram fallerent mentem, verùm interni sensus esse culpam, cum in re ulterius pervestiganda nulla adhibeatur ratio; non igitur è sacro codice petendum esse argumentum ad probandam moti solis immotaque terræ veritatem, cum non utatur verbis, nisi incolarum terræ sensibus aptis: quare illis, qui Copernicanam tueantur sententiam, non illam impositam esse necessitatem, ut probent, sacrum codicem hominum captui magis, quam veritati semet adcommodare, secundum erroneam vulgi opinionem esse institutum.

Audiendus est etiam alius quispiam, qui tribus hisce Mediis terminis rem omnem posse dijudicari, & omnia sacræ Scripturæ oracula ad illos examinari contendit; nimirum: *si S. Scriptura in tractandis rebus Astronomicis aut Mathematicis utatur ejusmodi terminis, quos nec prudentissimus evitare nec maxime eruditus immutare possit, non loqui illam ad*

captum vulgi; Deinde: *si Scriptura in tractandis rebus Astronomicis & Mathematicis, utatur terminis & ad vulgi & ad eruditam significationem aeque propendentibus, non loqui illam ad captum vulgi, sed libertatem relinquere super addendi interpretationem*; Tùm: *si Scriptura in tractandis rebus Astronomicis & Mathematicis utatur terminis technicis, non loqui illam ad captum vulgi, sed potius gignere conceptum scientificum.*

Ne tamen diutius, quàm necesse est, in hac re enarranda commorari videar, finem nunc faciam sequentibus CHRISTIANI WOLFII verbis, qui in *Elementis Astronomiæ* ita mentem suam explicat: „Quod si „tamen quis fuerit aut hebetiore ingenio, „quam ut hactenus dicta capere possit, aut „infirmior, quàm ut sibi persuadeat, â Deo „permitti, ut Scripturam in nonnullis non „intelligant, qui ad eam interpretandam Ec-„clesiæ præficiuntur, ei cum Viro summo Ke-„plero suadeo, ut missa Schola Astronomica, „damnatis etiam si placet, Philosophorum „placitis, suas res agat, & ab hac peregri-„natione mundana desistens domum ad agel-„lum suum excolendum se recipiat, oculis-„que quibus solis videt, in hoc adspectabile cœlum

„ cœlum ſublatis toto pectore in Gratiarum „ actionem & laudes Dei conditoris effundatur, certus ſe non minorem Deo cultum „ præſtare, quam Aſtronomum, cui Deus „ hoc dedit, ut mentis oculo perſpicacius videat, quæque invenit, ſuper iis Deum ſuum & ipſe celebrare poſſit & velit, nec unquam ab Aſtronomis, utpote non ſecundum affectuum impetum, ſed ſecundum „ rationem pronunciantibus, viciſſim damnatum iri.

Habes itaque, BENEVOLE LECTOR! quædam in utramque partem argumenta eandemque ſentiendi libertatem tibi relinquo, quam & mihi in omnibus rebus vindicare nunquam deſino. Cavendum autem ſemper, ne quid præjudicati afferamus ad res dijudicandas, nequid auctoritatis alienæ, nec ut novitatis cupidi vetera ſpernamus, nec quidem rerum antiquarum adeo ſimus tenaces, ut abſque judicio atque ratione valeat antiquitatis pretium. Nos autem nunc parum ſolliciti, ſive Terra moveatur, ſive cœlum circa illam feratur, perinde nobis erit, nec ullum impedimentum noſtro afferet inſtituto, quod in deſcribendo Terrarum orbe verſatur.

Si

Si autem rem omnem contemplamur animo, reperimus triplicem esse rationem, cur distinguatur Terrarum orbis, quarum una MATHEMATICA, altera PHYSICA seu NATURALIS, tertia POLITICA. Præmissis autem hisce rationibus facile intelligere possumus, dari Triplicem quoque Geographiæ Definitionem, cum una *Mathematicam*, altera *Physicam*, tertia *Politicam* nobis suppeditare queat notionem; facilis autem & perspicua erit earum unaquæque, quando triplicem illam explicaverimus rationem. Interim communi Idearum complexu, Geographiam vocabimus notitiam Orbis Terrestris aquâ permisti, prout illum vel ipsi agnovimus, vel aliorum relatione accepimus. Illarum autem trium *Divisionum*, â Geographis receptarum, quid sibi unaquæque velit, breviter inquiremus.

DIVISIO ORBIS MATHEMATICA.

I.

JAm si primam orbis Terrarum Affectionem consideramus, quæ *Figuram* illius respi-

respicit, quæsô quanta, quamque horrida de ea Philosophi ediderunt sententiarum monstra atque portenta; quæ quidem una cum auctoribus suis jam dudum exspirasse manifestum est. Homines nulla Geometriæ, nullaque Geographiæ cognitione imbuti sensibus externis, uti plerumque fit, rem æstimandum esse judicarunt; hinc terram latissima planitie circumquaque exporrectam jacere crediderunt, & adhuc credunt fortassis istiusmodi homines, de hisce rebus minimè solliciti, & terminum tandem, (quoniam tamen aliquando finiri debeat,) Lineam aliquam Circularem sibi sunt imaginati, & quæ sunt alia valdè ridicula & nimiùm absurda.

II.

Non miror homines, qui nullas unquam didicerunt litteras, solisque sapiunt sensibus, absurdam hancce Orbis Terrarum figuram sibi finxisse; verùm hoc quî fieri potuerit, ut & Philosophi ad ineptas hujusmodi opiniones delapsi sint, non video. Fuerunt enim LACTANTIUS *aliique* PATRES in hoc errore, ut crediderint, terram infinitis radicibus deorsum extendi, eamque fundari fundamento nescio quo, acriter defenderint.

Eos

Eos autem ad hunc errorem impulerunt quædam Sacrarum litterarum Oracula, quibus alium præter hunc sensum tribui posse omninô negarunt. Quin & HERACLITUM talia statuisse nonnulli volunt, ut priores ab eo disciplinam accepisse videantur; quamquam sint, qui alium errorem circa figuram orbis illum errasse contendunt, qui scilicet illum *Terræ formam profundo excavatam alveo* tribuisse perhibent. ANAXIMANDER quoque multa insuper alia peccans, in opinione circa terræ figuram turpissime lapsus est, cum *Cylindraceam illius formam* esse sibi persuaserit, ut *Peucerus* auctor est. Sunt tamen, qui eum sua opinione tantopere falsum esse non credunt, cum & in studio dimetiendi pene cœli atque terræ multum desudaverit, & defectiones Solis atque Lunæ hominibus multô ante prædicere consueverit. LEUCIPPUS *tympani in modum terram conformatam* existimasse scribitur. Et ARISTOTELES, qui Philosophorum antiquorum vaferrimus habetur interpres in Libro. II. de Cælo, cap. XIII. magnam turbam sententiarum circa terræ figuram congregat, ita absurdarum, ut eas ne conjectura quidem informare possimus, cum mens nostra quid-

vis

vis videatur cogitatione posse depingere. Quid? antiquos Philosophos non audimus in litterarum tenebris quasi adhuc existentes, FRANCISCUM PATRICIUM, Philosophum recentiorem audiamus, jam in pleno litterarum lumine collocatum, qui terram *plano exporrigi pede* credidit? Mitto autem hæc, cum non sint Philosophorum judicia, sed delirantium somnia.

III.

Terram autem esse globosam cum ex dierum atque noctium inæqualitate facile demonstratur, tum & maxime intelligitur in Eclipsi Lunari, ubi non nisi globosa, qualem Circuli delineant, animadvertitur tenebrarum forma. Non autem talem puto terræ Globositatem, qualem adcurati Geometrarum Circuli poscunt, verùm talem, qualis in grano piperis cernitur: & id quidem propter summa montium capita, rupesque præaltas, quibus plerumque profundæ Valles sunt subjectæ; attamen hæc altissima montium juga nihil impediunt, quo minus rotundam & globosam esse terram affirmem, quoniam ad immensam totius terrarum orbis magnitudinem plane nihili sunt habenda. Et hæc ipsa Terræ globositas est causa, quare jam

jam aliquoties uni versa Tellus ab hominibus potuerit circumnavigari. Fecerunt autem idvariarum gentium navigatores; Anno 1519. primus omnium Ferdinandus Megallanes intervallo 1124. dierum. Anno 1577. Franciscus Draco Anglus, intervallo 1056. dierum; Anno 1586. Thomas Caudisch, itidem Anglus, intervallo 777. dierum; Anno 1590. Simon Cordes Roterodamensis; An. 1598. Olivierius Noort, Batavus intervallo. 1077. dierum. An. 1615. Wilhelmus Cornelius Schouten, intervallo. 749. dierum. & An. 1623. Jacobus Heremites & Johannes Hugenius intervallo 802. dierum, directo constanter ad occidentem itinere, ab oriente in Europam redierunt atque omnia phænomena cœlestia annotârunt, quæ ea Globositate Telluris consequuntur. Stante igitur firma de Terræ Globositate sententiâ, quilibet id facile potest intelligere, quod ea, quæ Mathematici in Geographiæ studium conferunt, Circulis maxime confici debeant & peragi, utpote qui in rotunditate dimetienda plurimum præstant. Monendum etiam est eosdem Circulos in Telluris superficie Mathematicos sibi imaginari, quos supra in superficie sphæræ mundanæ sibi finxerunt,

xerunt, & ex Astronomia multa huc transferre nomina, quæ jàm nobis veniunt explicanda.

IV.

AXIS Telluris est illa Linea Recta, centrum Terræ transiens, circa quam Tellus spatio diurno, sive spatio viginti quatuor horarum motu vertiginis rotatur; Imo nihil aliud est, quam pars aliqua Axis mundani.

V.

Finge igitur, loco illius Lineæ Rectæ per centrum Terræ transeuntis, ferrum aliquod, in longitudinem satis excusum, esse transductum, ita, ut ex utroque globi latere ferri illius extrema emineant, habebis duas Mundi plagas, quas constanter monstrabunt Axis extrema, quæ quidem ut extrema tantum concipimus. Et cum manifestum sit, & satis ubique demonstratum, quod motu vertiginis terra circum feratur, aut si mavis, circumferri videatur ad Ortum semper vergens; Vertigines autem circa idem punctum moveri per observationes cognitum sit pariter manifestum est, uno ficti illius ferri extremo semper Meridionalem, altero autem Septentrionalem semper ostendi plagam.

jam aliquoties uni versa Tellus ab hominibus potuerit circumnavigari. Fecerunt autem id variarum gentium navigatores; Anno 1519. primus omnium Ferdinandus Megallanes intervallo 1124. dierum. Anno 1577. Franciscus Draco Anglus, intervallo 1056. dierum; Anno 1586. Thomas Caudisch, itidem Anglus, intervallo 777. dierum; Anno 1590. Simon Cordes Roterodamensis; An. 1598. Olivierius Noort, Batavus intervallo. 1077. dierum. An. 1615. Wilhelmus Cornelius Schouten, intervallo. 749. dierum. & An. 1623. Jacobus Heremites & Johannes Hugenius intervallo 802. dierum, directo constanter ad occidentem itinere, ab oriente in Europam redierunt atque omnia phænomena cœlestia annotârunt, quæ ea Globositate Telluris consequuntur. Stante igitur firma de Terræ Globositate sententiâ, quilibet id facile potest intelligere, quod ea, quæ Mathematici in Geographiæ studium conferunt, Circulis maxime confici debeant & peragi, utpote qui in rotunditate dimetienda plurimum præstant. Monendum etiam est eosdem Circulos in Telluris superficie Mathematicos sibi imaginari, quos supra in superficie sphæræ mundanæ sibi finxerunt,

xerunt, & ex Astronomia multa huc transferre nomina, quæ jâm nobis veniunt explicanda.

IV.

AXIS Telluris est illa Linea Recta, centrum Terræ transiens, circa quam Tellus spatio diurno, sive spatio viginti quatuor horarum motu vertiginis rotatur; Imo nihil aliud est, quam pars aliqua Axis mundani.

V.

Finge igitur, loco illius Lineæ Rectæ per centrum Terræ transeuntis, ferrum aliquod, in longitudinem satis excusum, esse transductum, ita, ut ex utroque globi latere ferri illius extrema emineant, habebis duas Mundi plagas, quas constantet monstrabunt Axis extrema, quæ quidem ut extrema tantum concipimus. Et cum manifestum sit, & satis ubique demonstratum, quod motu vertiginis terra circum feratur, aut si mavis, circumferri videatur ad Ortum semper vergens; Vertigines autem circa idem punctum moveri per observationes cognitum sit pariter manifestum est, uno ficti illius ferri extremo semper Meridionalem, altero autem Septentrionalem semper ostendi plagam.

VI.

Illa ficti ferri extrema POLOS appellare fueverunt Geographi, Et quidem POLUM ARCTICUM five BOREALEM illum, qui Septentrionalem indicat plagam; POLUM verò ANTARCTICUM five AUSTRALEM, qui Auftralem five Meridionalem indicat plagam.

VII.

Cum igitur Europa omnis Arctico Polo fit propior, patet omnibus Europæ feffori-bus POLUM ARCTICUM effe confpicuum; alterum autem, fcilicet POLUM ANTARCTICUM iis latere; quoniam impoffibile eft, ut quis uno intuitu totum confpicere queat globum. De hac re ita *Virgilius in Libr. I. Georg.* animi fui fenfa expreffit.

Hic vertex femper nobis fublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.

Quod fiquis navigator vento & tempeftate diu multumque agitatus nefciat quæ fit plaga feptentrionalis, quam Polus Arcticus oftendit, ope magnetis, feptentrionem naturæ fuæ inftinctu quafi digito monftrantis, eam facile reperire poteft.

VIII.

VIII.

MERIDIANUS est ille circulus, qui per utrosque Telluris Polos & locum quem libet eodem Circulo ab uno Polo ad alterum ducto contentum transit.

IX.

Per se patet ex hac definitione Meridiani, quod multa simul loca (totitem sc. quod inter utrumquePolum in eodem Circulo poni possunt) sub eodem Meridiano sita esse queant, quoniam integram ambit tellurem. Et porro, quoniam Meridianus in Cœlo & Meridianus in Tellure unus idemque est (Nam explicamus, ut supra dictum est, nomina ex Astronomia in Geographiam delata) Meridies autem esse dicitur, quando Centrum solis in Meridiano cœlesti hæret, clarum est & manifestum omnes eos homines sub eodem degentes Meridiano eodem quoque gaudere Meridie. Denique quoniam consueverunt homines diem in viginti quatuor dividere horas, & horas illas numerando plerique incipiant ab hora duodecima, quæ meridiem indicat; iterum, quilibet facile potest intelligere, quod omnium illarum gentium, sub eodem Meridiano de-

gentium horasque numerando â duodecima incipientium horologia, ſiquidem recte ſint conſtituta, ut nullo laborent vitio, per integrum diem uno eodemque temporis momento eandem indicare debeant horam.

X.

MERIDIANUS PRIMUS dicitur ille Meridianus, quem quilibet ſibi conſtituit eo conſilio, ut ab illo, reliquos qui dantur, Meridianos numeraturus, numerare incipiat ab Occaſu ad ortum *vel:* eſt ille Meridianus, â quo reliqui omnes determinatum ſuum conſequuntur ordinem, ut, conſtituto ſemel meridiano primo, de alio dicere queam, quod ſit quartus, de alio quod ſit ſextus, de alio quod ſit decimus & ſic porro. Alter autem Meridianus ab altero, pro more recepto, decem gradibus diſtare ſolet. Hinc indicato Meridiani numero, patet ſimul & graduum numerus, uti in mappis delineari ſolet.

XI.

Dico quod *Meridianus primus* appelletur ille Meridianus quem quilibet ſibi conſtituat. Vellem ac optarem & ego ut nulla neceſſitate coactus fuerim hanc ita tradere definitionem. Nam in eo eſt, ut quilibet pro lubitu proprium ſibi aliquem fingat & conſti-

tuat

tuat Meridianum, â quo numerare incipiat. Ptolemæus pro Meridiano primo assumpsit vicinum Insulis fortunatis, quia ultra eas nihil terrarum in plaga Occidentali cognitum erat isto tempore. Successu temporis aliis regionibus detectis, Geographi alii eundem versus Occidentem promoverunt. Quidam eundem duxerunt per Insulam S. Nicolai, promontorio viridi Africæ adjacentem. Hondius per Insulam S. Jacobi, alii per Insulam del Corvo, quæ est Azorum una; sunt qui per Teneriffam vel Palmam ducunt: sunt qui per Herculis Columnas; sunt denique qui jubente Ludovico XIII. Galliarum Rege pet Insulam de Ferro duxerunt. Sunt qui per alia duxerunt loca.

XII.

HORIZON. s. FINITOR est ille Circulus, immobilis âpuncto Verticali æquidistans & vel Visum nostrum terminans, vel totam Terram, ipsumque adeo mundum visibilem, in superum & inferum Hemisphærium bifariam dividens. *Vel:* Est ille Circulus, qui Globum, æque ac Meridianus in duas partes æquales dividit, quarum altera Horizon meus appellari potest, ita, ut vestigium meum, cui insisto, ab omnibus illius Cir-

culi punctis 90. grad. distet. Cum itaque per totum terrarum orbem homini migrare liceat, nec illi, ubicunque versetur, Horizon denegari possit, clarum est & perspicuum toties Horizontem meum posse mutari, quoties mihi locum, quo commoror, mutare lubeat; *vel*: tot dari Horizontes, quot ubique terrarum dentur loca.

XIII.

Cum porrô, stante hâc Definitione, Horizon dimidiam telluris æque ac cœli partem denotet, Homines autem nullibi locorum, si vel altissimum conscenderint montem, dimidiam Telluris partem suis finire & perlustrare queant oculis; patet discrepare Sermonem vulgô receptum â Mathematicorum sermone, quantum quidem ad Horizontis denominationem attinet. Nam vulgô Horizon seu Finitor alicujus hominis appellatur istud Telluris segmentum, quod oculorum terminatur visu, ut ita cujuslibet Horizontis quantitas vel ab Oculorum bonitate, vel a locorum gibbositate atque planitie pendeat.

XIV.

Hinc nascitur Divisio Horizontis *in Intelligibilem* & *in Sensibilem*. Ille Horizon seu Fini-

Finitor, quem Mathematici & inprimis Aſtronomi atque Geographi ita appellant, recte dicitur HORIZON INTELLIGIBILIS, quoniam mente tantum intelligi, oculis autem ſentiri nequit. Alter autem, qui vulgô appellatur Horizon, recte dicitur HORIZON SENSIBILIS, quoniam oculis noſtris ſentitur & terminatur.

XV.

Iſtud Horizontis mei in ſummo Cœlo punctum, quod à quolibet puncto Circuli illius Horizontem meum conſtituentis æqualiter, id eſt, 90. graduum intervallo diſtat, appellatur ZENITH, cui oppoſitum eſt illud punctum, quod in Cœlo infero concipitur, nominaturque NADIR.

XVI.

AEQUATOR eſt ille Circulus, qui eosdem cum Tellure Polos habet. *Vel:* eſt ille Circulus, qui totam quoque ambit Tellurem, ita ut omnia illius Circuli puncta ab utroque Polo æqualiter diſtent. *Vel:* eſt ille Circulus, qui ita Globum dividit, ut duas illius æquales relinquat partes, Auſtralem alteram, alteram verô Borealem; *vel:* eſt Circulus, ita per Tellurem deſcriptus, ut, quodcunque illius punctum inſtitero, Ho-

rizon meus per utrosque transeat Polos, à Nautis appellatur Linea.

XVII.

Jam patet, quod, ubi sol in æquatore existat, ubivis Terrarum extra Polos nox diei æqualis fit. Nam uti supra dictum est, & cuilibet leviter attendenti patet, quoniam Terræ globositas impedit, quo minus uno eodemque tempore Sol omnem collustret Terrarum orbem, ita ut dimidiam telluris partem sua luce tantùm queat afficere; Terræ motus autem semper sit idem, ut nunquam velocius moveatur, nunquam tardius; evidens est, quod, ubi sol in Aequatore existat, ubivis Terrarum nox diei sit æqualis.

XVIII.

Circulus ille in Sphæræ mundanæ superficie, descriptus, sub quo centrum Solis motu proprio incedit, dicitur ECLIPTICA; & ZODIACUS est fascia circulis excursuum, terminata. CIRCULI EXCURSUUM sunt circuli cum Ecliptica paralleli; & ab ea tanto intervallo distantes, quanto planetarum versus Polos Eclipticæ excursus coërceri possunt, quod decem vulgo statuitur graduum *Vel*: Zodiacus est illa Fascia, quæ duodecim signa cœlestia continet, &

quæ

quæ curvo flexu per telluris superficiem ducitur, ita ut bis æquatorem secet.

XIX.

ZODIACUS autem, quoniam dividitur in duodecim Signa, seu, dodecatemoria, quæ eadem sunt ac illa signa Cœlestia, quæ in Ecliptica deprehenduntur, vulgo sæpe confunditur cum Ecliptica, ut discrimen utriusque non adcurate attendatur. Nam Ecliptica, est ut ita dicam, media Zodiaci Linea, vel Aequator quasi Zodiaci.

XX.

Signorum istorum cœlestium numerantur duodecim, quorum quodlibet ergo est duodecima Zodiaci pars; quoniam duodecim scilicet integrum absolvunt Zodiacum, pars cuivis æqualis tribui debet, ut itaque per signa illa duodecim Ecliptica in duodecim dividatur partes æquales. Primi illorum cœlestium signorum principiumponitur in æquinoctiali puncto vernali. Nomina autem istorum cœlestium signorum, ut & ordo, sequenti versiculo, ut memoriæ consulatur, indicari solent.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

Horum autem ſignorum cœleſtium ſex ſunt conſtituta in Hemisphærio ſeptentrionali, quæ ſunt:

(1.) Aries, *cujus ſignum*, ♈.
(2.) Taurus, *cujus ſignum*, ♉.
(3.) Gemini, *quorum ſignum*, ♊.
(4.) Cancer, *cujus ſignum*, ♋.
(5) Leo, *cujus ſignum*, ♌.
(6.) Virgo, *cujus ſignum*, ♍.

Sex reliqua ſigna cœleſtia ſunt conſtituta in altero Hemisphærio, ſcilicet Auſtrali, quæ ſunt.

(1.) Libra, *cujus ſignum*, ♎.
(2.) Scorpius, *cujus ſignum*, ♏.
(3.) Sagittarius, *cujus ſignum*, ♐.
(4.) Capricornus, *cujus ſignum*, ♑.
(5.) Aquarius, *cujus ſignum*, ♒.
(6.) Piſcis, *cujus ſignum*, ♓.

XXI.

Cum verô integer annus in quatuor dividatur tempora, quorum unum eſt *Ver*, alterum *Aeſtas*, tertium *Autumnus*, quartum denique *Hyems*, cuilibet horum temporum tria deſignata ſunt ſigna cœleſtia; Signa nimirum vernalia ſunt Aries, Taurus, & Gemini; æſtiva ſunt Cancer, Leo, Virgo; Autumna-

tumnalia ſunt: Libra, Scorpius, Arcitenens ſ. Sagittarius; Brumalia ſunt Capricornus, Amphora ſive Aquarius, & Piſces. Ex hiſce itaque clare patet, quod ſigna Septentrionalia Veri & Aeſtati noſtræ ſint deſtinata; Signa autem Auſtralia Autumnus atque Hyems noſtra ſibi vindicent.

XXII.

Quoniam *Ecliptica* vel *Zodiacus* curvo flexu per Globum ducitur & Aequatorem bis ſecat; Ecliptica autem nihil aliud eſt, quam Orbita ſolis; Sole autem in Aequatore exiſtente, ubivis terrarum nox æqualis ſit diei; puncta illa interſectionum Aequatoris & Eclipticæ recte vocantur æquinoctialia. Porro cum ab una Aequatoris ſectione Sol verſus Polum Borealem aſcendat, & ab altera Aequatoris ſectione verſus Polum Auſtralem deſcendat; Sole autem verſus Polum Borealem aſcendente, nobis, qui Septentrioni ſumus propiores, creſcere quotidie ſoleat dies; Sole autem verſus Polum Auſtralem deſcendente nobis decreſcere ſoleat dies; & creſcente ita die veris ſit tempus, decreſcente autem Autumni; Punctorum æquinoctialium iſtud, unde Sol verſus Polum Borealem aſcendit, recte appellatur *Vernale*; hoc autem unde idem

idem Sol verſus Polum Auſtralem deſcendit, *Autumnale* dicitur. Præterea cum Aequinoctium appelletur iſtud tempus, quando Sol in punctum æquinoctiale ingreditur; & punctum iſtud æquinoctiale *vel* Vernale ſit, *vel* Auctumnale; recte iterum appellatur AEQUINOCTIUM unum VERNALE, alterum autem AEQUINOCTIUM AUTUMNALE. Patet ergo porro, puncta Aequinoctialia ſibi mutuo diametraliter eſſe oppoſita, atque ſigna cœleſtia Borealia eſſe conſtituta in Hemisphærio Boreali, ſigna autem Auſtralia in Hemisphærio Auſtrali.

XXIII.

COLURI appellantur illi Circuli, qui per Polus Globi & puncta Eclipticæ Solſtitialia & æquinoctialia ducti totam ambiunt tellurem. *Colurus* autem *æquinoctiorum* dicitur iſte Colurus, qui per Mundi polos atque puncta æquinoctialia ductus eſt; & Colurus Solſtitiorum, qui per Polos Mundi & puncta Solſtitialia tranſit.

XXIV.

TROPICI vocantur illi Circuli, qui cum Aequatore paralleli per puncta Solſtitialia ducuntur. Cum verò duo ſint puncta Solſtitialia, unum ſcilicet in principio *Cancri*, alte-

alterum in principio *Capricorni*; & Signum Cœleste Cancri deprehendatur in *Hemisphario Boreali*, cœleste vero Signum Capricorni in *Hemisphario Austruli*; manifestum est illum in Hemisphærio Boreali rectè vocari TROPICUM CANCRI; hunc autem in Hemisphærio Australi TROPICUM CAPRICORNI.

XXV.

CIRCULI POLARES sunt Circuli immobiles, cum Aequatore paralleli, & â Polo Mundi tanto intervallo distantes, quanta est declinatio Eclipticæ maxima. Ille Circulus Polaris, qui Polo Arctico vicinus est, dicitur CIRCULUS POLARIS ARCTICUS, & distat â Tropico Cancri intervallo 43. graduum, & â Polo Arctico intervallo $23\frac{1}{2}$ graduum; qui verô Circulus Polo Antarctico proximus est, appellatur CIRCULUS POLARIS ANTARCTICUS, & distat â Polo Antarctico intervallo $23\frac{1}{2}$ graduum, & â Tropico Capicorni intervallo 43. graduum.

XXVI.

Vidimus ergo, quales sint illi Circuli quatuor Minores, nimirum duo Circuli Tropici

pici atque duo Circuli Polares. His ita uti dictum est per Globum discriptis, intuenti patet, quinque spatia quatuor istis Circulis terminari. Hæc autem quinque spatia *Zonas* appellare sueverunt Geographi, quæ instar fasciarum Circulari flexu tellurem ambiunt. ZONA TORRIDA solet appellari illa fascia, quam æquator æqualiter dividit, & uterque Tropicus terminat. Et eam ipsam ob causam, quod Aequator Zonam Torridam in duas partes æquales dividit, factum est, ut nonnulli duas numerare soleant Zonas Torridas, *Australem* alteram, alteram verò BOREALEM. ZONA TEMPERATA AUSTRALIS, est illa Zona quam Tropicus Capricorni & Circulus Polaris Antarcticus terminant. ZONA verò TEMPERATA SEPTENTRIONALIS, est illa Zona, quam Tropicus Cancri & Circulus Polaris Arcticus complectuntur. ZONA FRIGIDA AUSTRALIS est illaTelluris pars quam Polus Australis & Circulus Polaris Australis terminant; Huic è diametro opposita est ZONA FRIGIDA SEPTENTRIONALIS, quam Circulus Polaris Arcticus & Polus Arcticus terminant.

XXVII.

XXVII.

Latitudinem verô ſingularum Zonarum, ſi ſupputare in milliaribus, vel alia quadam menſura bene nota quis voluerit, ille reperiet ita: Latitudo Zonæ Torridæ eſt 47. graduum, nempe 23 $\frac{1}{2}$ ab utraque Aequatoris parte: utriusque Temperatæ latitudo eſt 43. graduum. Utriusque Frigidæ Zonæ latitudo eſt 47. graduum. Hi gradus ſi in milliaria commutentur, æſtimato uno gradu quindecim miliaribus Germanicis, erit latitudo Zonæ Torridæ milliarum 705. Temperatarum 645. ambarum Frigidarum 705. In Temperata Zona Septentrionali jacent plurima Terræ loca, eaque omnia fere nota & habitata, nempe omnis Europa, Aſia, excepta India, Cherſoneſo Aurea atque Inſulis Oceani Indici, Americæ Septentrionalis magna pars, Oceani Atlantici atque Pacifci pars; & ſine dubio hæc Zona Temperata Seprentrionalis eſt præſtantiſſima reliquarum omnium Zonarum, quod etiam ſignificare voluit celeberrimus Cellarius in Introduct. in Geogr. ubi ita habet: *Si ingenium hominum reſpicias & res geſtas Zona Temperata Septentrionalis omnium eſt præſtan-*

ſtantiſſima, inventrix artium & rerum Dominatrix. In Temperata Zona Auſtrali jacent pauca Terræ loca, eaque non omnia cognita, plurima verô Maris pars; nempe pars procurrentis Africæ, Monomotapæ, Promontorium Bonæ ſpei, Terræ Magellanicæ ſeu Auſtralis magna portio, Braſiliæ pars, Chili, Magellanicum Fretum, portio Magna Oceani Atlantici, Indici, Pacifici. In Zona Frigida Septentrionali jacent dimidia pars Islandiæ, pars Norvvegiæ & Lappiæ ultima, Finmarchiæ, Samojedæ, Nova Zembla, Grœnlandia, Spitzberga, Americæ Septentrionalis incognita quædam. In Zona Frigida Auſtrali nondum ſatis conſtat, Terrane ſit an aqua.

XXVIII

Jam explicandum venit, quid Geographi ſuis voluerint indicare Climatibus; nam illi quidem omnes unum idemque ſentiunt de Climatibus, ut unam eandemque unanimem tradant Climatis definitionem; Sed & de numero Climatum, & eam ipſam ob cauſam etiam de Climatum quorumcunque ſpatio determinando non admodum conveniunt, videnturque multæ difficultates ſubeſſe, ſi adcuratos cujusuue Climatis limites dare tentaveris. Eſt autem CLIMA *talis ſuperficiei tellu-*

telluris pars, qua duobus Circulis Aequatori parallelis terminatur ita, ut dies longissimus in Parallelo, qui vicinior est Polo exsuperet diem longissimum in parallelo, qui Aequatori propior est, definita quadam temporis parte, nempe hora dimidia, quamdiu tardius crescit, hora integra, imo diebus integris, quando celerius crescit, quin etiam integris, Septimanis, integrisque mensibus, prout nimirum Polo est vicinior, Jam quodlibet Clima dicitur incipere in eo Circulo Aequatori parallelo, in quo dies anni longissimus est maximus per totum Clima. Monendum verò heic est per Diei vocabulum non id significari, quod alias per id denotatur, nimirum spatium temporis viginti quatuor horis absolutum; verùm per Diem hoc loco significatur tale temporis spatium, per quod Sol supra Horizontem videtur, per Noctem verò è contrario intelligitur istud spatium temporis, per quod Sol infra Horizontem versatur.

XXIX.

Sole in Aequatore existente, uti jam supra dictum est & demonstratum, ubivis terrarum nox diei est æqualis; Sol autem ex utroque Aequatoris latere simili motu ab uno descendit, ad alterum verò ascendit; exin-

 de

de patet, duplicia quoque esse Climata, Borealia altera, atlera autem Australia. Quoniam verô veteres Hemisphærium Boreale magis habuerunt cognitum, tantum istud in certa diviserunt Climata; reliqua autem in altero Hemisphærio constituta communi nomine vocarunt Anticlimata. Hi autem veteres in Hemisphærio Boreali septem modo numerarunt Climata, eisque â locis eorum nobilioribus dederunt nomina, qualia heic vides; *Primum* Clima appellabatur Clima per Meroen, quæ est Insula & urbs Africæ Nilo circumdata; *Secundum* per Syenen, quæ est urbs Aegypti. *Tertium* per Alexandriam Aegypti, quæ maritima urbs est. *Quartum* per Insulam Rhodum; est Insula in Mari Mediterraneo sita. *Quintum* per Hellespontum; alii per Romam; *Sextum* per Borysthenem; est fluvius insignis Sarmatiæ Europæ. *Septimum* per Riphæos Montes Sarmatiæ.

XXX.

Postea Ptolomæus novem agnovit, alii plures, recentiores autem ad numerum horarum diei constituunt viginti quatuor. Veteres autem Geographi suis Climatibus nomina â locis illustrioribus, per quos transibant dare sueverunt. Ita ex *Ioanne Gigante*,

te, Isacius Pontanus refert unum quodque Hemisphærium in novem æqualia Climata dividi, iisque nomina hæc ab Inventoribus eorum esse imposita: *Primum* appellatum esse Aethiopicum; *alterum* Arabicum: *tertium* Aegyptiacum; *quartum* Syriacum; *quintum* Italicum; *Sextum* Germanicum aut Anglicum; *Septimum* Suecicum aut Lappicum; *octavum* Glaciale; *nonum* Polare. Et hæc quidem in Hemisphærio septentrionali. De Meridionali quod tamen æque latum, altum illis fuisse silentium dicit *Isaacus Habrechtus in Planiglobio suo Terrestri pag. 219. seq.* ubi simul etiam asserit, se quoque tentasse, alterum Hemisphærium in *novem* Climata Australia dispescere, eisque certa assignare nomina. *Videtur idcirco,* inquit, *primum ab Aequinoctiali versus Antarcticum Polum Clima, quod primo graduum denario coërcetur* PERUVIANUM *appellari posse, quia regni Peru magnam partem transit; secundum eodem Jure* BRASILIANUM; *tertium* CHILENSE, *vel etiam* JAVANICUM; *quartum propter celeberrimum totius Orbis Promontorium in eo situm,* BONÆ SPEI, *vel à nummifero fluvio,* ARGENTEUM, *aut si mavis à Mari,* PACIFICUM; *quintum* PSITTACORUM, *à*

regione ob eorum frequentiam sic dictâ; *Sextum* FRETORUM, *quia famosissima terrarum Freta Magellanicum & Mairianum, quod perperam Lamerianum plerique insigniunt, continet; Septimum à Terra de Fuego,* IGNEUM; *Octavum, à Terra Australi incognita,* INCOGNITUM; *& nonum* POLARE sc. ANTARCTICUM. *Quæ tamen, addit, cujusvis censuræ subjecta sunto.*

XXXI.

Ecce Tibi, Benevole Lector!

vulgatam Climatum Tabulam.

Climata	Paralleli	Dies Longissim.		Latitudo Loci.	
I	Princip.	12. h.	0	0	0
	Med.	12	15	4	15
	Finis	12	30	8	25
II	Medium	12	45	12	30
	Finis	13	0	16	25
III	Medium	13	15	20	15
	Finis	13	30	23	50
IV	Medium	13	45	27	40
	Finis	14	0	30	20

V

V	Medium	14	15	33	40
	Finis	14	30	36	28
VI	Medium	14	45	39	2
	Finis	15	0	41	22
VII	Medium	15	15	43	32
	Finis	15	30	45	29
IIX	Medium	15	45	47	20
	Finis	16	0	49	1
IX	Medium	16	15	50	33
	Finis	16	30	51	58
X	Medium	16	45	53	17
	Finis	17	0	54	27
XI	Medium	17	15	55	34
	Finis	17	30	56	37
XII	Medium	17	45	57	32
	Finis	18	0	58	29
XIII	Medium	18	15	59	14
	Finis	18	30	59	58
XIV	Medium	18	45	60	40
	Finis	19	0	61	18
XV	Medium	19	15	61	55
	Fenis	19	30	62	25

XVI	Medium	19	45	62	54
	Finis	20	0	63	22
XVII	Medium	20	15	63	40
	Finis	20	30	64	6
XIIX	Medium	20	45	64	30
	Finis	21	0	64	49
XIX	Medium	21	15	65	6
	Finis	21	30	65	21
XX	Medium	21	45	65	35
	Finis	22	0	65	47
XXI	Medium	22	15	65	57
	Finis	22	30	66	6
XXII	Medium	22	45	66	14
	Finis	23	0	66	20
XXIII	Medium	23	15	66	25
	Finis	23	30	66	28
XXIV	Medium	23	45	66	30
	Finis	24	0	66	31

XXXII.

Jam dicendum eſt aliquid de quatuor præcipuis anni Temporibus *Aeſtate* ſcilicet & *Hyeme*, *Vere & Autumno*; quæ duo ultima tem-

tempora duobus prioribus sunt interjecta, ita, ut Hyeme senescente Ver incipiat, senescente autem æstate, incipiat Autumnus. Veris initium habetur die vicesimo secundo Martii, ubi Sol cœleste Signum Arietis tangit; æstas incipit die vigesimo secundo Mensis Junii, ubi Sol cœleste Signum Cancri tangit. Autumnus incipit, quando Sol cœleste Signum Libræ permeare incipit, nimirum die vigesimo secnndo Septembris. Hyems incipit die vigesimo secundo Decembris, Sole nimirum cœleste Signum Capricorni tangente, Quodsi quis ratione tempestatis desideret horum temporum definitiones, ille habeat sequentes unanimi consensu â Geographis receptas.

XXXIII.

ÆSTAS *loci alicujus dicitur illud anni tempus, cujus initium est dies ille, in cujus Meridie Sol minimam habet â Vertice ceu Centro, vel, puncto Zenith loci illius distantiam (idque prima vice, si duabus vicibus sol ei loco fiat Verticalis) finis verò ille dies, in cujus Meridie Sol mediam inter minimam & maximam â vertice seu puncto Zenith loci illius recipit distantiam.* HYEMS *Loci alicujus dicitur illud anni tempus, cujus initium est dies ille, in cujus Meri-*

die sol maximam à vertice loci illius adipiscitur distantiam; finis verò ille dies, in cujus Meridie Sol mediam à vertice loci illius acquirit distantiam. VER *loci alicujus dicitur anni tempus inter finem Hyemis & initium Aestatis cadens; sive cujus initium est dies ille, in cujus Meridie Sol mediam inter minimam & maximam à vertice seu puncto Zenith distantiam acquisivit, veniens à maxima distantia; finis verò ille dies, in cujus Meridie Sol minimam primo acquisivit à vertice seu puncto Zenith loci illius distantiam.* AUTUMNUS *loci alicujus dicitur anni tempus inter finem aestatis & initium Hyemis cadens; sive, cujus initium est dies ille in cujus Meridie Sol mediam inter minimam & maximam recepit à vertice loci illius distantiam, veniens à minima; finis verò ille dies, in cujus meridie Sol maximam à vertice loci illius distantiam adeptus est.*

XXXIV.

Jam aliquando dicendum eſt, quid ſit *Elevatio ſeu Altitudo Poli* atque *Aequatoris*, ejusque *profunditas.* *Altitudo* Stellæ vel puncti in Sphæra mundana eſt diſtantia ejus ab Horizonte; *Profunditas* verò appellatur, ſi Stella vel punctum fuerit in Hemisphærio inferiori.

XXXIV.

XXXV.

Jam constat, quod *Altitudo* alicujus puncti in Sphæra mundana, ejusque *Profunditas* sit arcus Circuli verticalis inter ipsum & Horizontem interceptus. Ita se res habet cum altitudine Poli & Aequatoris, ejusque profunditate. Omnes Circuli, qui per puncta Zenith & Nadir transeunt, tanquam Horizontis Polos, illi dicuntur Verticales; quodsi itaque puncto Zenith insisto, Linea mea Horizontalis constituet duo Hemisphæria; â quolibet illius Lineæ puncto punctum Zenith quadrantis spatio, id est 90 graduum distat; finge igitur Circulum, finge porro A esse punctum Zenith, P esse punctum Lineæ Horizontalis, R esse Polum Septentrionalem: Distantia igitur, quæ est inter A & P, est spatium 90. graduum; finge igitur R, Polum Septentrionalem esse in medio isto spatio, quod interceptum est inter A & P, constitutum, ita ut R æquali spatio distet ab A & â P, erit Elevatio seu Altitudo Poli Arcus P R, id est quadrantis dimidium, spatium 45. graduum. Eadem est Ratio & Altitudinis & Profunditatis Aequatoris in altero Hemisphærio. Nam si A est punctum meum Zenith, P punctum Lineæ Horizon-

 talis,

talis, finge huic ê diametro respondere punctum, H, erit P H Linea Horizontalis, & A P H Hemisphærium constituent; infra P sit Aequatoris Punctum Q. cui ê diametro respondeat M; erit illa distantia inter P & Q Intercepta, profunditas Aequatoris & illa distantia inter H & M intercepta Elevatio s. Altitudo Aequatoris.

XXXVI.

Tali modo unicuique facile patet, Altitudinem atque profunditatem Aequatoris semper esse æqualem, easque ê diametro sibi invicem opponi ita, ut una in uno, altera autem in altero reperiatur Hemisphærio. Si itaque tradantur definitiones: *Elevatio seu Altitudo Poli* nihil aliud est, quam distantia Meridiani a Polo ad Lineam Horizontalem intercepta; *Altitudo* autem *Aequatoris* nihil aliud est, quam arcus Meridiani inter Aequatorem & Lineam Horizontalem interceptus. *Profunditas* ê contrario Aequatoris est arcus Meridiani in altero constitutus Hemisphærio, altitudini Aequatoris ê diametro respondens & æqualis, inter Aequatorem & Lineam Horizontalem interceptus.

XXXVII.

XXXVII.

Porro patet, quoniam Meridianus eſt Circulus Verticalis, *altitudinem Meridianam*, hoc eſt altitudinem puncti in Meridiano conſtituti, eſſe arcum Meridiani inter ipſum & Horizontem intercepti. Et quoniam Meridianus per Polos mundi tranſit, altitudo Poli itemque Aequatoris in Hemiſphærio ſuperiori & profunditas in inferiori eſt arcus Meridiani quadrante minor inter Polum ac Horizontem interceptus; idque in Sphæra obliqua in reliquis non item.

XXXIIX.

In Aequatore ergo qui conſtitutus eſt, nullam habere poteſt Elevationem ſ. Altitudinem Poli, quoniam Horizontis Poli iidem ſunt cum Polis mundanis; & ita ſi globus conſtitutus eſt, dicitur SPHÆRA RECTA; Porro ſi quis ad Polos degit vitam, ille pariter Elevationem Poli maximam poſſibilem habet, & in illa conſtitutione Globi ſignificatur SPHÆRA PARALLELA. Si verô punctum Zenith intra Aequatorem atque Polum eſt, appellatur SPHÆRA OBLIQUA. Hinc quilibet facile poteſt intelligere, quod nos in Zona Temperata Septentrionali viventes Sphæram ſemper hebeamus obliquam.

XXXIX.

XXXIX.

Distantia locorum nihil aliud est, quam arcus Circuli maximi inter duo loca interceptus. Sive: Distantia unius loci ab altero dicitur Linea brevissima inter duo illa loca in telluris superficie intercepta; punctum autem quodvis & in Globo & in Mappis Geographicis locum aliquem telluris vere repræsentare & exhibere dicitur, si ad reliqua mappæ puncta eum habeat situm & distantiam, qualem locus telluris, quem repræsentare debet, ad alia telluris loca, quæ â reliquis Mappæ punctis repræsentantur.

XL.

Hanc autem locorum distantiam Geographi & secundum Longitudinem loci alicujus & secundum Latitudinem metiri solent; Ita quidem ut LONGITUDO loci alicujus sit Arcus Aequatoris inter Meridianum Loci dati atque Meridianum Primum interceptus. LATITUDO Loci ergo est distantia ejus ab Aequatore, seu Arcus, uti dictum est, Meridiani inter Locum datum & Aequatorem interceptus. Patet ita Elevationem Poli semper æquari Locorum Latitudini; & ita si innotescat Locorum Latitudo, observari simul altitudinem Poli.

XLI.

XLI.

Habe heic tabulam brevem, exempli gratia adpositam, in qua Locorum quorundam celebriorum Latitudinem atque Longitudinem indictam reperis, & quidem supposito primo Meridiano per Insulam Palma dictam, quæ est Fortunatarum una.

Locorum quorundam celebriorum in Germania sitorum.

Nomina	Latitudo		Longitud.	
Stutgardia	48°	42′	44°	53′
Tubinga	48	34	31	50
Wormatia	49	40	31	11
Treviris	49	50	29	7
Altorfium	49	22	34	22
Aquisgranum	50	46	29	12
Augusta Vindelicorum	48	24	33	53
Bamberga	49	56	33	49
Brema	53	8	31	44
Brunsviga	52	15	32	15
Stettinum	53	34	38	0
Clivia	51	48	29	4
Confluentia	50	22	29	35
Colonia	50	50	29	37
Eislebia	51	37	35	14

Lipsia

Nomina	Latit.		Longit.	
Lipſia	51°	19′	34°	35′
Norimberga	49	29	35	26
Mansfeldia	51	40	35	6
Dillinga	48	30	31	10
Erfordia.	51	6	34	37
Lindavum	47	28	32	35
Ingolſtadium	48	40	34	12
Lintium Auſtr.	48	16	37	35
Leodium	50	40	28	15
Juliacum	50	54	29	26
Heidelberga	49	20	31	35
Memminga	47	53	33	11
Marpurgum	50	41	31	24
Magdeburg	52	14	35	22
Hannovera	52	8	33	11
Halberſtadium	51	56	34	41
Hala Saxon.	51	32	35	42
Francof.ad od	52	20	38	0
- ad Mœn.	50	4	31	20
Conſtantia	47	42	31	57
Moguntia	50	2	30	27
Monaſterium	52	0	30	54
Monachium	48	58	34	20
Roſtochium	54	10	35	20
Ratisbona	48	59	34	50

Argentorat.	48	32	30	20
Ravensberg.	1	56	34	35
Salisburgum	47	44	36	26
Witteberga	51	49	36	31
Vienna Aůſtr.	48	22	39	50
Locorum	quorundam		inGallia ſito-rum	
Mediomatricum	495	10	29	9
Abbavilla	50	4	24	7
Arelatum	43	34	27	11
Sedanum	49	38	21	33
Avenio	43	51	27	10
Rhemi	49	12	26	44
Rhothomagus	49	27	23	27
Nannetum	47	13	20	48
Rupella	46	10	21	14
Lutetiæ Pariſ.	48	50	24	50
Lugdun Gallor.	45	45	27	15
Locorum	quorundam		in Belgio ſi-torum.	
Neomagus	51	51	28	54
Alemaria	52	5	27	51
Namurcum	50	25	27	35
Antwerpia	51	10	26	50
Bruxellæ	50	48	26	45
Cameracum	50	11	25	40

Dor-

Dordracum	51	52	27	50
Amstelodamum	52	21	27	10
Dunquerca	51	1	24	50
Gandavum	51	1	26	20
Geldria	51	30	29	10
Franequera	53	12	28	46
Lugdunum	52	12	27	30
Lovanium	50	50	27	40
Roterodamum	51	55	26	50
Ultrajectum	52	5	27	35
Tornacum	50	32	25	40
Haga Comit.	52	4	26	0

XLII.

Jam de *Umbris* atque *Telluris Illuminatione*, quæ fit â Sole, pauca sunt dicenda, ut appareat, quid sint *Ascii*, quid *Amphiscii*, quid *Heteroscii*, quid *Periscii*? Patet autem unicuique denominationes hasce, si modo â primo limine Græcas salutavit litteras, ab umbris esse desumtas. ASCII enim sunt, qui certo anni tempore nullam meridianam habent umbram. Cum itaque quilibet me non monente intelligat, tum hominis nullam esse meridianam umbram, quando Sol ejus vertici diametraliter fuerit oppositus; supra verô cum

cum jam dictum sit, incolas Zonæ Torridæ bis in unoquoque anno verticalem habere Solem; patet incolas Zonæ Torridæ bis in unoquoque anno esse Ascios. In reliquis autem Zonis, nimirum in utraque Temperata & in utraque Frigida incolis solem plane nunquam fieri verticalem ex ante dictis clarum est; hinc simul & manifestum est, incolas in utraque Zona temperata & in utraque Frigida degentes nunquam fieri posse Ascios. Qui Solis orbitam in Globo aliquo Aeneo vel ligneo delineatam aspicit, ille nullo negotio omnia hæc potest intelligere.

XLIII.

AMPHISCII appellantur illi, quorum umbra quodam anni tempore, versus Austrum, alio autem versus Boream se flectit. Nimirum proximè præcedenti paragrapho dictum est, Ascios, id est incolas Zonæ Torridæ, Solem bis in unoquoque anno habere Verticalem, reliquo autem tempore Solem vel versus Boream vel versus Austrum se flectere; nec id aliter fieri potest, quod unicuique Solis orbitam aspicienti patet; clarum est iterum incolas Zonæ Torridæ esse Amphiscios. Cumque iidem sint & Ascii, Terricolæ Ascii sunt etiam Amphiscii.

XLIV.

HETEROSCII dicuntur illi Terricolæ, quorum umbra Meridiana constanter vel versus Boream tendit, vel constanter versus Austrum se flectit. Cum igitur certum sit Solem Zonam Torridam nunquam egredi; verùm quibus limitibus Zona Torrida terminetur, iisdem quoque Solis Orbitam finiri, nimirum duobus Tropicis, quorum alter, nempe Tropicus Cancri, in Septentrionali Hemisphærio Circulum describit, alter autem scilicet Tropicus Capricorni, in Hemisphærio Australi; Zona autem Temperata utraque ab uno latere aliquo terminetur Tropico, nimirum in Zona Temperata Septentrionali Tropico Cancri, in Zona Temperata Australi Tropico Capricorni, ab altero latere verô claudatur Circulo aliquo Polari; præterea Sol quotidie & oriatur & occidat incolis in Zonis Temperatis degentibus; profectô illi in Zona Temperata Septentrionali viventes meridiano tempore semperSolem habeant necesse est â Vertice suo versus Austrum recedentem, & incolæ in Zona Temperata Meridionali degentes eundem Solem versus Boream inclinatúm; ut ita illi suam semper umbram jaciant

ciant septentrionem versus, hi verò semper Meridiem versus. Nimirum quilibet jacit umbram in Plagam Soli oppositam; Evidens ergo est & plane demonstratum, incolas Zonæ utriusque Temperatæ esse Heteroscios; Ascios autem & Amphiscios nunquam posse esse Heteroscios.

XLV.

PERISCII appellantur illi, quorum umbra uno eodemque die successive in omnes Plagas tendit. Quales hi sint & ubi locorum degant ex antecedentibus iterum patet. Nulli enim alii possunt esse Periscii, quam illi, quibus per aliquot dies, septimanas, Menses Sol plane non occidit; id quod fit apud homines circa Polos habitantes. Sunt igitur incolæ Zonæ utriusque Frigidæ Periscii.

XLVI.

Monendum est, datas heic esse generales Asciorum, Amphisciorum, Heterosciorum atque Perisciorum definitiones, & unicuique horum classi attributam esse quandam Zonam; Ascii nimirum & Amphiscii Zonam Torridam sibi vindicant; Heteroscii utramque Temperatam occupant Zonam; Periscii autem in utraque Zona Fri-

gida degunt, Cum verô res ita se habeat, ut quælibet Zona suis adcurate terminetur limitibus, ita ut unica tantum interposita sit Linea, quæ Zonam unam ab altera disjungat; quod autem umbram hominum attineat, id non tam adcurate terminis finiri queat; quilibet hasce definitiones cum grano salis accipere debet, & rectis ad hibere locis. Exempli gratia: Zonam Torridam à Temperata Septentrionali disjungit Tropicus Cancri; de incolis Zonæ Torridæ dictnm est, quod sint Amphiscii, non aliam quidem ob causam, quam quod umbram suam quodam anni tempore Austrum versus, alio autem Boream versus jaciant. Jam qui Solis Orbitam in Globo aspicit, Zonamque Torridam â Zona Temperata Septentrionali unica tantum separari linea videt, ille quidem intelligit incolas Zonæ Torridæ ad unum omnes esse Ascios, ast non omnes illos Ascios esse simul & Amphiscios, sed tantum eorum plerosque. Nam qui Terricolæ Solstitii puncto insistunt, vel per Tropicum Cancri vagantur illorum umbra nunquam versus Austrum, sed semper versus septentrionem tendit, ut adeo Heteroscii potius appellentur, quales & revera sunt.

Et

Et hæc quoque dicta velim de altero Hemisphærio scilicet Australi. Porro cum hominibus in Zona Temperata viventibus iis, qui â Circulo aliquo Polari proxime absunt, per aliquot dies etiam Sol quodam tempore non occidat, ut adeo & umbra eorum successive in omnes tendat plagas; patet & illos recte appellari posse Periscios talesque revera esse. Ut uno verbo rem complectar: observandum hêic est, denominationes hasce etiam, ut in aliis rebus fieri solet, â potiori parte esse desumtas, & earum unamquamque in illos maximê aptam esse & quadrare incolas, qui mediam ferre Zonam occupant, de qua in Definitione sermo est.

XLVII.

Jam de *Antæcis*, *Periæcis* & *Antipodibus* sermo est ordiendus. Talia enim quoque sortiuntur nomina incolæ Terrestris Globi, non quidem absolutê totius Spheræ, ut præcedentia, sed relativê, respectu certi alicujus in illa dati loci, idemque non tantum in Temperatis, ut Isacius Pontanus arbitratur, sed quibusvis Zonis. Quodlibet enim terreni nostri domicilii punctum datum, habet necessario punctum aliud diametraliter oppositum, siquidem corpus rotundum censetur,

fetur, istiusque puncti accolæ, sive Terra sit sive Mare, Antipodes dicuntur, quasi pedes pedibus nostris obvertentes; nonnullis etiam Antichtones. Sunt adeo ANTIPODES sive ANTICHTONES incolæ telluris diametraliter sibi mutuo oppositi. Nostri ergo Antipodes adversis vestigiis stant contra nostra vestigia; talesque homines posse existere patet exinde, quoniam Telluris figura propemodum est Sphærica. Patet porro ex hac Definitione Antipodum, quod illi in ejusdem Meridiani semicirculis oppositis habitent; & ob eam causam cum in uno loco media nox sit, in altero esse Meridiem, Antipodesque horas numerare contrarias. Quare & necesse est, illos habere Longitudines 180 gradibus a se invicem distantes. Et cum Horizon à puncto Zenith alicujus loci 90. graduum intervallo distet, puncta opposita, id est, illa puncta quibus Antipodes insistunt eundem habent Horizontem; & hanc ob causam cum Sol uni oriatur, alteri occidat necesse est. Uno verbo dicam. omnia contraria patiuntur & experiuntur Antipodes; dum nobis æstat existit, hyems apud illos sævit; dum nos vere gaudemus, fruuntur illi autumno & contra.

XLIIX.

XLIIX.

ANTOECI sunt tales incolæ Telluris, qui mutatis tantum nominibus, eandem habent & Longitudinem & Latitudinem. Hinc manifestum est Antœcos sub ejusdem Meridiani semicirculo habitare, & eam ob causam simul meridiem habere, horasque diei reliquas easdem. Porro patet Antœcos Zonarum Temperatarum & Frigidarum tempestates anni quoque contrarias habere, non autem illarum Zonarum Antœci solum, verum omnium, uti & Antipodes. Et Antœcis in æquinoctio solem simul oriri & occidere, sed reliquo tempore uni citius, alteri tardius; & Antæcos ac Antipodes Polos diversos æqualiter elevatos habere. Si ergo Antœci faciem sibi mutuo obvertant, vel Antipodes eandem ad Aequatoris idem punctum, sidera uni oriantur â dextrâ, alteri â sinistra necesse est.

XLIX.

PERIOECI sunt incolæ qui eandem & cognominem latitudinem sed longitudines 180. gradibus distantes habent. *Vel:* Periœci, *sive*, Circumcolæ, sunt qui in eodem Hemisphærio, eodem Meridiano, eodemque parallelo, sed oppositis punctis habitant;

qui eandem nobiscum Zonam incolunt, nobiscum quatuor anni tempora earumque mutationes & tempestates sentiunt, incrementa dierum & noctium eadem habent; hoc unum interest, quod, quando Sol nobis Verticalis est in Meridie, ipsis Nadir possidet, & mediam noctem efficit. Patet ergo Globum intuenti, Incolas in Aequatore non habere Antœcos, eorumque Periœcos eosdem esse, qui Antipodes. Porro Polos non habere Periœcos, sed sibi mutuo esse Antœcos & Antipodes.

L.

Nunc de *Plagis* atque *Ventis* pauca sunt addenda. PLAGA est intersectio Horizontis & Circuli Verticalis. Ex hac ipsa Definitione manifestum est, quod infinitæ dentur plagæ, quoniam earum tot esse possunt, quot sunt Horizontis puncta. Interdum quoque plaga sumitur pro intersectione Circuli verticalis, & Circuli cujuscunque Horizonti paralleli; imo â nonnullis pro segmento Verticalis inter Meridianum & Horizontem, vel, Circulum eidem parallelum intercepto. Constat autem esse quandam inter plagas differentiam, propter quam aliæ plagæ dicantur *Cardinales* Plagæ, aliæ autem *Collatera-*

tera-

terales Intermediæ. PLAGÆ CARDINALES aqpellantur illæ ſectiones Horizontis & Meridiani atque Circuli Verticalis primarii. Nimirum interſectiones Horizontis & Meridiani vocantur Septentrio & Auſter, quæ interſectiones ê diametro ſibi ſunt oppoſitæ, & quarum illa Polo Septentrionali, hæc Meridionali vicina: interſectio Horizontis ortivi verticalis primarii Oriens; interſectio autem Horizontis occidui & Verticalis primarii Occidens. Patet ergo haſce quatuor plagas cum quatuor Cardinibus mundi coincidere, plagamque â plâga ſibi proxima diſtare intervallo quadrantis ſeu 90. graduum. PLAGÆ autem COLLATERALES vel INTERMEDIÆ ſunt, quæ inter Cardinales interjacent. Sunt vel *Primariæ*, quæ æquali angulo â duabus Cardinalibus remotæ, vel, *Secundariæ*, eæque aut *primi ordinis*, quæ æquali angulo â Cardinali, & primaria quadam vicina diſtant, aut *ſecundi ordinis*, quæ æquali angulo â Cardinali quadam, vel primaria & ſecundaria prima removentur; ut adeo Collaterales primariæ â Cardinalibus diſtent angulo 45. graduum; ſecundariæ primi ordinis â Cardinali & primaria Collaterali vicina angulo 22. gradu-

um & 30. minut. Secundariæ autem secundi Ordinis â Cardinali vel, primaria Collaterali & secundaria ptimi ordinis 11. grad. 15. minut. Par atque similis ratio atque conditio, ut & denominatio est Ventorum; VENTUS autem nihil aliud est, quàm sensibilis motus aëris. Hæc de Divisione Globi Mathematica.

Divisio Orbis Terrarum Naturalis.

S. PHYSICA.

I.

NAturalem Orbis Terrarum tradere Divisionem, siquidem â Geographo non autem Physico id fieri constat, nihil aliud est, quàm primo rerum in Telluris superficie existentium cuilibet suum constituere nomen, ut, quotquot earum sint, â semet invicem ipso nomine facile queant distingui; deinde nomina iis semel imposita rite explicare, ut nullo negotio possit intelligi, quid eo nomine veniat, vel, quid non cum eo congruat. Quod si hoc fiet, nemo vel parum advertens paludem aliquam lacum appella-

pellabit, ut Sinum aliquem Maris Peninsulæ nomine significabit.

II.

Hinc patet per se, nobis heic non agendum esse de Orbis Terrarum natura, ut scilicet mirabilia illius explicemus & enarremus, quid causæ subsit, quare in hac orbis Terrarum regione frustra quæratur, quod tamen in altera abunde nascitur; cum non omnis ferat omnia tellus; id quod & Virgilius Poëtarum Princeps suis declarare voluit versibus, quando hunc in modum est modulatus:

Hîc segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina; nonne vides Croceos ut Tmolus adores,
India mittit Ebur, molles sua Thura sabæi.

Porro non penetrabimus ad Centrum Terræ, ut scrutemur, quid ibi lateat, non omnium omninô aquarum ibi sedes sit, & exinde per totum fluant atque refluant Terrarum Orbem; vel, nûm ê solidissima & durissima quaque materia istud sit conflatum. Non cum Democrito ludicram orbis originem

nem repetemus. Non disputabimus, cur Mare istud rubrum appareat, istud autem nigrum. Non explicabimus nec inquiremus, Oceani altitudo utrum major sit, quam altitudo littorum atque terrarum; item non scrutabimur nec pervestigabimus rationes, cur Mare conspectum ê littore videatur in majorem altitudinem & tumorem assurgere semper, quô istud remotius fuerit â littore; nec indicabimus, utrum una eademque altitudo sit Oceani, necne? nec an aqua Oceani, quo fundo sit propior, eo sit dulcior? nec dicemus, utrum majus requiratur frigus ad aquæ marinæ, quam ad aquæ dulcis congelationem? nec enarrabimus causas, quare Oceanus non fiat major, cum tot recipiat fluvios; non inquiremus cur Mare noctu splendere videatur atque lucere, cum fluctus â tempestatibus, sint vehementiores? Non indicabimus causas, quare fluviorum alius dulcem, alius amaram, alius salsam, alius turbidam, alius autem limpidam vehat aquam; non explicabimus, qua ratione fontes ê terra prorumpant; quâ rationê nascantur montes, qua speluncæ fiant & terrarum barathra. Nam quis non videt, hæc in Physicorum scriniis esse quærenda nobis autem

nunc

nunc incumbere, nominum ad Terrarum Orbem pertinentium & jam diu quidem constitutorum, justam atque legitimam tradere significationem, ut, quibus lubet & interest integram perlustrare Geographiam, quovis nomine indicto justam & rectam in mentem revocare queant significationem.

III.

Omnis terrarum Orbis statim â suis, ut ita dicam, incunabulis, divisus fuit in AQUAM & TERRAM, quoniam supremus rerum Conditor DEUS, cum adhuc incondita moles esset, nec ulla rerum facies, fluidis imperavit partibus, ut in unum locum confluant, quæ autem reliqua essent, pariter cohæreant firmumque constituant corpus. Hac igitur divisione semel facta, Geographorum est, eandem sequi, si quidem Physice (eo sensu quo dixi) considerandus illis est terrarum Orbis, & explicare, quid sibi velint ea nomina, quæ fluidis attributa sunt partibus, quæque firmis sive terrenis. Faciemus ergo periculum, & exordiemur ab aquis.

IV.

Primum omnium, quod nunc considerandum venit, est id, quod in sacris litteris

ris ABYSSUS aquarum appellatur, nobis autem Oceanus, quod generale nomen est, & omnes omninô partes fluidas sub se complectitur; in quo Oceano tota Terra ceu magna quædam Insula, quasi natare videtur. Est autem Oceani nomen origine Græcum, â celeritate ductum. Hicce Oceanus continuo tractu per omnem omninô terrarum orbem se movet, nec partium terrenarum relinquitur quidquam, quod non undiquaque ac Oceano allueretur; neque immania terræ continentis spatia obstant & officiunt, quo minus universum ambiret Terrarum orbem, sed id tantummodo impediunt, ut non æque lato ubique, & æque continuo provehatur tractu, verùm nunc angustioribus circumscribatur terminis, nunc ortum versus procedat interveniente Terra, nunc versus Occasum prolabatur, ita ut multiplicem variamque figuram acquirat atque faciem. Nec adsunt causæ cur dubitemus Oceanum omnem ambire Terrarum orbem, cum illum prope Sphæricam habere figuram & jam aliquoties ab hominibus circumnavigatum esse supra docuimus. Veteres Telluris incolæ non potuerunt non esse certissime persuasi de hac rê, quoniam de America

rica recens demum inventa nihil omninò sunt suspicati. At cum America fuerat detecta, quæ â septentrione ad Austrum longissimo tractu exporrecta Oceani continuitatem visa est impedire, & prææterea Terra polaris Septentrionalis & Australis, tunc haud immerito dubitare cœperunt ii, quorum nonnullus labor in hisce rebus exigebatur. Nam uti sunt multi ex Geographis, qui Americam septentrionalem cum Grœnlandia continuo tractu conjunctam esse credunt, & mordicus defendunt; ita tùm temporis fuerunt nonnulli, qui existimabant Americam Australem pari nexu cum Terra Australi esse copulatam. Tali modo si ex utraque parte America cum terra continente esset conjuncta, fieri nequaquam posset, ut Oceanus omnem ambiret Terrarum orbem. Verum enim verò hæsitationem & scrupulum omnem ex animis sustulit Magellanes, quando An. 1520. invenit Fretum inter Americam & Terram Australem, per quod conjungi Oceanum Pacificum cum Atlantico manifeste patuit. Fuerunt postea alii, qui eadem usi via idem quoque affirmarunt; ut igitur nos experientiâ certum esse sciamus id, quod veteres falsa quadam opinione inducti falsum esse nunquam sunt suspicati.

V.

V.

Aſt verô hæc Oceani vox non ſemper uno eodemque ſenſu adhibetur. Nam interdum omnem omninô aquam, quæ Tellurem ambit, ut paulo ante dictum eſt, ſignificat; interdum verô, imo ſæpius denotat aliquam Oceani partem, ita ut Oceanus ille in multos alios dividatur Oceanos, qui tanquam partes deſumti ſunt â ſuo toto. Tali modo appellatur Mare Indicum Oceanus Orientalis, item Mare Atlanticum vocatur Oceanus Occidentalis ſive Oceanus Atlanticus; porro Mare Aethiopicum dicitur Oceanus Auſtralis ſive Meridionalis; Mare Hyperboreum idem eſt ac Oceanus Hyperboreus ſive Septentrionalis circa Terram Polarem Arcticam.

VI.

Videt autem quilibet quatuor hoſce Oceanos â quatuor mundi Cardinalibus plagis ita eſſe appellatos, & eorum quemlibet ingentem complecti aquarum vim & immania ſpatia; quare & hi dividi ſolent in Oceanos minores; ita exempli gratia Oceanus Indicus eſt Oceani Auſtralis pars. Dantur itaque multi Oceani, qui quidem nihil aliud ſunt, quam partes Oceani tellurem univer-

ſam

ſam ambientis; accipiunt autem Oceani ſua nomina â terrarum, quas alluunt, nominibus; tali modo dicitur Oceanus Cantabricus, Oceanus Britannicus, Oceanus Indicus; Oceanus Chinenſis & alii adhuc plures.

VII.

Jam quæſo quid ſentiendum eſt de Vocabulo Maris? Celeberrimus Cellarius in Introduct. in Geogr. dicit Mare eſſe generis nomen, cujus ſpecies ſint Oceanus, ſinus, Fretum & interdum Lacus ac æſtuaria. Diſſentit ab eo quidam, qui Oceanum omnia complecti Maria dicit; per Mare autem proprie ſignificari illam Oceani partem, quæ per tellurem habitabilem meare ſoleat. Aperte ſibi invicem contradicunt; quid ergo ſtatuendum? Valeat etiam heic iſtud tritum Philoſophorum perfugium, ut ſcilicet in verbis ſimus faciles, modo conveniamus in re. Res enim ipſa magni momenti non eſt; hinc cuilibet integrum eſto atque liberum ſuam ipſius ſequi ſententiam & opinionem, & id ſtatuere, quod ei videtur optimum. Liceat autem paulô inquirere in rem ipſam. Conſtat illam Oceani partem, quæ Europam atque Africam interluit appellari vulgô Mare Mediterraneum; iſtud Mare Mediterraneum

neum multas atque varias alluit gentes & regiones; hinc desumta sunt illa multa & varia nomina, quibus non nisi partes Maris Mediterranei significantur. Nam hoc Mare Mediterraneum habet septentrionem versus Hispaniam, Galliam, Italiam, Siciliam, Illyricum, Græciam, Cretam, Thraciam, Asiam Minorem; versus Austrum habet Maroccanum Regnum, item Fessanum, Tunetanum & Aegyptum; hinc natæ sunt tot appellationes & tot nomina unius ejusdemque Maris Mediterranei; sive, in tot partes potius divisum est Mare Mediterraneum, ut Geographi unanimi consensu appellare consueverint unam illius Maris partem Mare Ibericum, alteram Mare Gallicum, tertiam Mare Ligusticum, quartam Mare Siculum, quintam Mare Balearicum, Sextam Mare Getense & sic porro, ut semper Maris Mediterranei pars quælibet, ab ista regione quam alluit, suum nomen sortiatur. Nonne hoc idem est ac Oceanum in partes, id est, in alios dividere Oceanos? quid ergo impedit quô minus Mare Mediterraneum etiam appellemus Oceanum Mediterraneum; & Mare Ibericum appellemus Oceanum Ibericum, & Mare Gallicum vocemus Ocea-

Oceanum Gallicum & sic porro: Prorsus ut unum idemque videantur significareMaris & Oceanivocabula. Verum,uti ante dixi,statuat quilibet id, quod sibi videtur optimum, quoniam hæc divisio &a ppellatio solûm â nostra fictione dependet, non autem ab ipsa rerum natura.

IIX.

Sinus Maris vel Oceani, appellatur talis pars Oceani, quæ inter duas terras ex Oceano vel alio etiam Sinu decurrit, donec ad aliquam terram sistatur. Dixi vel etiam ex alio sinu decurrit; nam distingui solent etiam Sinus in primarios & secundarios; Secundarii sinus autem sunt quos alius Sinus major efficit; Sinus autem primarios Oceanus emittit. Ita universum istud Mare Mediterraneum, quod ab Oceano inter Hispaniam & Barbariam irrumpit, & inter Europam & Africam decurrit longo spatio usque ad Syriam, Asiam minorem & Thraciam, Sinus appellari potest, & quidem Primarius, qui multos Sinus Secundarios efficit, quales sunt Sinus Adriaticus, Sinus Thessalonicensis, & alii insuper satis multi; ita ut unicuique pateat, quod etiam Maria atque Oceani sub nomine sinus apparere queant.

Ita Sinus Per ſicus appellatur, qui inter Arabiam & Perſiam decurrit ex Oceano Indico circa Inſulam Ormuz. Et Sinus Californiæ dicitur Mare iſtud Vermejo vel Rubrum, quod inter Californiam & Occidentale Americæ Mexicanæ littus decurrit ab Auſtro verſus Septentrionem. Porro ſinus de Nanquin inter Coream & Chinæ Tartariæque littora decurrit ad Septentrionalia Tartariæ loca, ubi Tenduc Regnum Catajæ ponitur.

IX.

Præterea Sinus etiam dividi ſolent in Obliquos & Latos; ita Mare Mediterraneum appellari poteſt ſinus obliquus. Item Sinus Codanus, ſive Mare Balthicum irrumpit ex Oceano inter Selandiam Daniæ Inſulam & Gothiam Sueciæ continentem, ut etiam inter Selandiam & Iutlandiam. Primô quidem oblonga via â ſeptentrione verſus Auſtrum ſe flectit, mox iterum reflexus immani ſpatio ad Septentrionem excurrit inter Germaniæ provincias, Megapolim, Pomeraniam, Caſſubiam, Boruſſiam, Livoniam ab uno latere, nempe Orientali; ab oppoſito autem latere habet Sueciam & Lappiam, Emittit autem Tres ſinus Secundarios, quorum duo æque poſſunt appellari Si-

Sinus obliqui, nimirum Bothnicus & Finnicus; tertius autem nempe Livonicus potest appellari Sinus latus. Lati Sinus porro dici possunt Sinus Mexicanus, qui etiam dicitur Mare Mexicanum, & ex Oceano Atlantico inter partes Americæ septentrionalem & Australem, quas â se invicem disjungit, ab Orientali ad Occidentalem plagam fluit. Ita etiam Sinus Gangeticus, sive Golfo di Bengala, qui inter Indiam & Melanensem Chersonesum ex Oceano Indico decurrit ab Austro versus septentrionem. Item haud procul ab hoc Sinu Gangetico est Sinus inter Malaccam & Cambajam. Porro Sinus Rusticus, qui etiam dicitur Mare Album.

X.

Fretum nihil aliud est, quam angustia quædam Maris, quando scilicet ex utroque latere terra ita quasi eminet inter aquas, ut parvum aliquod & exiguum relinquat spatium, per quod penetrare queat aqua. Galli fretum vocant, Detroit; Itali idem dicunt Stretto; quod Hispani Estrecho vocant & Batavi Stræette; Græcis autem est Bosphorus. Solent verô Freta esse Triplicia; aut enim illa conjungunt Oceanum cum Ocea-

no; aut Oceanum cum Sinu; aut Sinum cum Sinu; danturque multa freta, ex quibus pauca, quæ sunt celebriora, enumerabimus exempli gratiâ.

XI.

Fretorum celeberrimorum sine dubio unum est Fretum Herculeum, quod vulgô appellatur Estrecho de Gibraltar; dicitur etiam Fretum Gaditanum per quòd Oceanus Atlanticus fluit sinumque Mediterraneum efficit. Porro inter Daniæ Insulam Zelandiam & Scandiam situm est Fretum satis celebre, scilicet Danicum, per quod Oceanus Atlanticus fluit in Sinum Balthicum. Apud Græcos olim Hellespontus fretum erat celeberrimum, per quod ex Ponto Euxino in Propontidem via conceditur. Huic vicinum est aliud Fretum dictum Bosphorus Thracicus, quod Propontidem cum Mari Aegeo conjungit. Pari modo Fretum valde celebre est Magellanicum, ab inventore suo Magellane ita nominatum, quod Oceanum Atlanticum cum Mari Pacifico conjungit, atque ex uno in alterum præbet transitum. Porrô habetur Fretum Waigats; Fretum Manilhas; Fretum Glaciale; Fretum Davis, Fretum Persici Sinus, & alia.

XII.

XII.

Jam dicendum est, quid sit Lacus, quid sit Palus, quid Stagnum? de quibus iterum non eadem omnes sentiunt Geographi. Quid ergo faciendum? de Vocabulis iterum lis orta est non autem de re; quare unicuique liberam sentiendi facultatem concedimus, modô quilibet opinionem sibi metipsi consentaneam, ut habeat, studere debet. Attamen ne plane nihil dixisse videamur, proferemus ea, quæ heic scitu sunt necessaria.

XIII.

Primô sunt, qui unum idemque sonare dicunt tria ista vocabula, ut plane nullum significent discrimen. Sunt autem etiam, qui cuilibet eorum certam tribuunt notionem, â reliquis diversam. Ita exempli gratia dicunt: Lacum esse copiam aquarum in aliqua Mediterranei loci cavitate insignis amplitudinis & tractus existentem, undique terris cinctam & mediocrem ad minimum profunditatem debere habere. In specie autem eum recte appellari Lacum, qui fluvios recipiat, fluviosque emittat. Stagnum autem appellari Lacum parvum, qui fluvios nec recipiat, nec emittat. Paludem verô dici aquam in Mediterraneo loco exi-

ſtentem, quæ hincinde extantes & eminentes terras habeat, vel etiam Terræ immixta ſit. Videntur hæ notiones rectè ſe habere; & tali modo omninô diſcrimen aliquod eſt relinquendum inter hæc tria vocabula.

XIV.

Porrô non ſunt unius ejuſdemque generis omnes Lacus; Sunt enim quidam, qui neque emittunt, neque recipiunt fluvios; quales Lacus, uti dixi, ſi parvi ſunt, appellantur ſtagna, ſi verô magni & vaſti, retinent plerumque Lacus appellationem: Quidam emittunt fluvios, aſt nullos recipiunt; quidam ê contrario recipiunt fluvios, aſt nullos emittunt; quidam autem & recipiunt fluvios & emittunt. P rro quidam ex hiſce majores emittunt, quam recipiunt, quidam æquales, quidam autem minores. Præterea ſunt quidam, qui emittunt fluvium in eadem ferê linea cum eo, quem acceperunt, alii in alia Linea ſive ad aliam plagam. Item quidam plures recipiunt, quàm emittunt, quidam pauciores, quidam æquales; ut ita minimum quadruplices eſſe queant lacus.

XV.

Pari modo paludes quoque poſſunt eſſe duplices; quædam uliginoſa & mixta quaſi ſub-

ſubſtantia ex aqua & terra conſtant, ita ut veſtigia hominum ferre & ſuſtinere nequeant; aliæ autem parva ſtagna & aquarum collectiones habent, hinc inde parvis terræ ſiccæ extantibus portionibus. Notandum porro eſt quosdam lacus, vel etiam paludes appellari maria; tali modo dicitur Mare Geneſareth ſive Galilææ & Mare Mortuum. Maximus verô Lacuum eſt Mare Caſpium ſive Hyrcanum hodie Mare de Sala, quod perperam veteres Sinum Oceani Septentrionalis credebant eſſe.

XVI.

Quid ſit fluvius, quid flumen, quid rivus, quid ſit amnis, fons, puteus, unicuique patet; dabo tamen definitiones uſitatas & ubique obvias. Fluvius ſ. flumen, quod idem eſt, dicitur aqua à certo terræ loco fluens verſus alium locum, oblongâ viâ, & intra alveum. Alveus aquæ in tellure dicitur cavitas illa, in qua aqua continetur, quæ magis depreſſa eſt, quam aquæ illius littus. Rivus dicitur fluvius, qui non habet eam latitudinem eamque profunditatem, ut navigia parva onerata ſuſtinere poſſit. Amnis verô appellatur talis fluvius, qui navigia parva onerata ſuſtinere poteſt. Si autem mediocria navigia vel etiam magna

onerata in eo vehi possunt, appellatur generis vocabulo fluvius, vel flumen. Manifestum ergo est omnium horum vocabulorum, nullam aliam esse differentiam, quam eam, quæ est inter majus & minus. Torrens dicitur aqua ex montanis locis cum impetu fluens.

XVII.

Confluens appellatur locus ubi duo flumina confluunt. Brachium fluvii appellatur fluvius vel rivus, qui ex alio fluvio & alveo fluit. Plerumque tamen sumitur pro tali brachio, quod minus sit, altera fluvii parte, quæ relinquitur; sed frequenter tamen brachia etiam vocantur, quæ â fluvio in duos alveos divaricato existunt. Fons dicitur aqua ex certo terræ loco scaturiens & profluens; puteus autem si scaturiat quidem, sed non profluat, verum colligatur. Ostium dicitur exitus fluvii; ita Danubius septem ostiis in Pontum Euxinum excurrit. Aestuaria sunt loca depressiora, mari aut flumini vicina, aquis exundantibus repleta, saltim fossis incisa & distincta. Nec prætereunda videtur nostratium Küste, vox êx Gallica Coste vel Cote haud dubie ducta, qua latus littoris, vel mare littori propinquum significatur.

XVIII.

XVIII.

Ex his manifestum est & unicuique clarum, posse accidere, ut torrentes siccis tempestatibus exarescant & plane nulli sint; posse autem interdum etiam Torrentes & rivos existere â copiosa pluvia & resoluta nive; fluvios autem partim insigni, partim mediocri existere magnitudine vel ex multorum rivorum & amnium congressu & confluentia, vel etiam profluere ex Lacubus & paludibus; nullos præterea fluvios alicujus magnitudinis, quales sunt Rhenus, Albis Danubius & alii, profluere ex uno fonte, sed ex coëuntibus multis parvis existunt, vel ex lacubus, & eundo semper crescunt.

XIX.

Sunt porro etiam fluvii quidam, qui in media via & in medio quasi itinere suo sub terram se condunt, atque alio loco rursus egrediuntur ac si non essent iidem. Ita Niger, occurrens montibus Nubiæ, conditur sub illis, & ex altera montium plaga Occidentali egreditur. Circa Arcadiam in Peloponneso plurimos tales fluvios & rivos fuisse scribit Aristoteles Libr. 1. Meteor. cap. XI. Quod etiam Poëtæ versus testantur, in quibus Lycus & Erasinus nominantur:

Sic

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Existit procul hinc, alioque renascitur ore.
Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in undis.

Alpheus Achajæ fluvius à terra absorbetur; quem Græci scribunt sub mare & infra terram agere cursum usque in Siciliam, ubi in Syracusano littore emergere eum volunt, atque illum esse, qui in Sicilia Arethusa dicitur.

XX.

Portus est talis in littore aliquo locus, ubi naves appellere, securæ atque tutæ à tempestatibus & procellis consistere possunt; plerumque sunt natura muniti; accedit tamen interdum ars hominum, ut etiam operibus muniantur. Portus celebriores sunt Portus Gaditanus, Portus Ferrarius, Portus Ludovici, Portus Magnus, Portus Monœci Herculeus, Portus Hannibalis, Portus Passagius, Portus S. Stephani, Portus Gallorum, Portus Realis & alii adhuc satis multi.

XXI.

Jam de Terra, id est de sicca Orbis parte agendum est; quo quidem nomine omnia

nia comprehenduntur, quæ fluidis partibus non possunt annumerari. Cumque ex iis, quæ de Oceano, Mari, Lacubusque diximus, satis luculenter appareat, terram non una eademque æquabili superficie exporrectam jacere, verum hinc inde oceano allui, & interlui; & cum experientia manifestnm sit cuilibet Telluris incolæ, multas passim deprehendi cavitates in Tellure, multas partes elevatas, & variam ubique reperiri telluris faciem, quælibet autem insignis illius pars suo proprio significetur nomine; nostrum erit officium, nomina ista, in vulgus quidem nota, recensere, &, quid illa sibi velint, explicare, ut constet, quæ sint illa vocabula, & quæ cum istis conjungenda sit notio. Erunt autem illa nomina sequentia: Continens, Insula, Peninsula, Isthmus, Promontorium, Mons, Vallis, spelunca, Sylva.

XXIII.

Continens sive Terra Firma, est terra nullo Mari diremta, ut pedibus non navibus ex illa in aliam transire liceat. Ita exempli gratia potest Anglia dici continens respectu Scotiæ, non autem respectu Hiberniæ; Ita quoque Germania potest dici continens respe-

ctu Helvetiæ, Galliæ, Hungariæ non autem respectu Britanniæ, â qua mari Britannico diremta est.

XXIII.

Insula nihil aliud est, quam talis terræ firmæ pars, quæ undique mari clausa, ab aliisque terris est diremta. Tali modo suspicari quis posset, & quidem haud immerito, omnem omninô tellurem nihil aliud esse, quam Insulam, cum illa omnis cincta sit & clausa aquis. Non renitor, per me potest Terrarum Orbis appellari Insula, utpote qui nihil aliud est, quam magna Insula, Oceano quasi innatans. Sed nunc de Sermone consueto nobis quoque sermo est; usus enim loquendi maximis terris hanc appellationem ademit, propterea quod tam magni & tam vasti tractus reperiuntur terræ portiones, ut aquæ circuitus fere nullus sentiatur.

XXIV.

Possunt autem Insulæ, quæ vulgô ita appellantur, in quatuor classes dividi, quæ tamen non alio differunt modo, quam uti majus differt â minori. Sunt adeo Insulæ vel Magnæ, vel Mediocres, vel Parvæ, tandem Minimæ. Magnarum verô Insularum

in

in Telluris superficie decem reperimus, quæ sunt: Britannia, quæ Angliam complectitur atque Scotiam, & formam habet ablongam. Iaponia Insula in Orientali Asiæ termino, non procul â China, quæ tota cnigitur ab Oceano Pacifico, quamque non minorem esse Britannia contendunt. Insula Lucania, quæ cingitur ab Oceano Orientali, & magnitudine non multum concedere perhibetur Britanniæ. Insula Madagascar s. Insula S. Laurentii, formam habet oblongam, ad Orientale littus Africæ sita, non procul â faucibus rubri maris, & ab Arabiæ littoribus, quam Oceanus Indicus efficit. Insula Sumatra, quam idem Oceanus Indicus format. Insula Borneo in eodem sita Oceano Indico, non procul â Sumatra, formam habet rotundam. Islandia Insula habet formam oblongam in Septentrionali sita Mari. Terra Nova, quæ ab eodem mari Septentrionali cingitur. Nova Zembla, quæ sita est inter Polarem Arcticam & Samojedum atque Russicam & â Mari Glaciali sive Tartarico alluitur. His adde Californiam, quam non Americæ partem, sed mari undiquaque cinctam nonnulli perhibent.

XXV.

XXV.

Insularum Mediocrium idem potest dari numerus; quales sunt Insula Java, una ex Indicis Insulis inter Asiam & Australem Terram, ab Oceano Indico clausa. Cuba, una ex Americanis Insulis â Mari Atlantico clausa. Hybernia Mari Septentrionali cincta. Creta, jacet in Mari Mediterraneo. Sicilia, eodem circumdata Mari. Ceilanum non procul ab Indiæ ultimo promontorio Comorino, ab Indico cincta Oceano, formam habet rotundam. Midanao, una ex Philippinis, quam Oceanus Pacificus efficit. Sardinia, quæ in Mari Mediterraneo jacet. Celebres, Insula non procul â Borneone, quam Oceanus Indicus efficit.

XXVI.

Insulæ parvæ possunt appellari Gilolo, una ex Indicis; Amboina, non procul â Gilolo; Timor; Jamaica, in Sinu Mexicano; Seelandia; Corsica; Negroponte; Majorca; Cyprus; Isabella una ex Insulis Salomonis in Oceano Pacifico,

XXVII.

Tandem Minimæ Insulæ dantur innumerabiles, ex quibus eas tantum nominare visum est, quæ multitudinis vocabulo quodam

dam & communi nomine enunciantur. Tales sunt: Insulæ Canariæ, quas olim fortunatas appellabant. Insulæ Flandricæ sive Asores, inter Europam & Americam Septentrionalem in Oceano Septentrionali. Insulæ Hesperides sive Virides, ad Occidentale Africæ littus è regione Promontorii Viridis, quod nomen commune habent. Insulæ Lucares, prope Americam inter Floridam & Cubam. Insulæ Principis inter Hispaniolam & Americam, quæ sunt omnes in Sinu Mexicano sitæ. Insulæ Maldivæ, quæ jacent in Oceano Indico, non procul â Malabarino Indiæ latere. Insulæ Camercanæ. Insulæ Masarreniæ. Insulæ Moluccæ, quas Oceanus Indicus efficit. Insulæ Philippinæ, quas in ultima Asia Mare Pacificum efficit. Insulæ Maris Aegæi. Insulæ Salomonis in Mari Pacifico ad Terram Australem. Insulæ Japonicæ. Insulæ quæ Angliæ adjacent & Scotiæ; & aliæ adhuc satis multæ.

XXIIX.

Peninsula, Græcis Chersonesus, dicitur pars terræ talis, quæ alteri terræ parti jungitur quidem, nec â Mari diremitur; sed parvo tantûm & angusto adhæret tractu, in

reliquo autem Circuitu undique Mari alluitur. Sive: Peninſula eſt quoad maximam partem Mari cincta, reliqua autem continenti adhæret. Tales ſunt: Nova Francia in Orientali latere Americæ Septentrionalis. Cherſoneſus Thraciæ ad Helleſpontum. Cherſoneſus Caſſandriæ ad Sinum Theſſalonicenſem Græci Maris. Peloponneſus ſive Morea. Thaurica Cherſoneſus; item Cambaja in India.

XXIX.

Iſthmus nihil aliud eſt, quam anguſtus ille Tractus, quo Peninſula Terræ continenti adhæret. Vel: eſt illa arcta via, per quam ex lata terra pervenitur in latam. Patet ergo ex hac definitione totidem dari Iſthmos, quot numerentur Peninſulæ. Celebriores ſunt: Iſthmus inter Aegyptum & Aſiam, quo Africa adhæret Aſiæ. Iſthmus Corinthiacus inter Peloponneſum & Græciam. Iſthmus Panamenſis inter Mexicanam Americam & Peruviam. Iſthmus inter Auream Cherſoneſum & Indiam. Iſthmus Tauricæ Cherſoneſi.

XXX.

Promontorium, Caput, vulgô Cabo, eſt Mons in Mare prominens. Vel: promontorium

torium dicitur talis mons, qui in Mare aliquo tractu procurrit, vel, littore supra vicina loca est elevatus. Celeberrimum sine dubio promontorium est Caput Bonæ Spei in Africæ extremo, quod superandum est iis, qui Indiam petunt. Celebria porro sunt promontoria Caput Viride in Angulo seu Cuspide Africæ, ubi ab Occidente in Orientem littus flectitur. Item Caput Victoriæ, in exitu Freti Megallanici. Caput Vincentii in Hispania & alia. Scopuli dicuntur partes extantes in Mari, vel etiam petris.

XXXI.

Mons est portio terræ sensibiliter globosa, cujus superficies in æqualiter distat â centro gravium communi. Vel: Mons dicitur pars terræ ad insignem altitudinem pertingens; quæ si minor sit, dicitur Collis vel Clivus. Est verò etiam aliqua montium differentia; nam dantur montes, qui parvo sunt circumscripti tractu, & instar turrium sunt elevati; alii verô longo tractu per immania spatia se extendunt, qui juga appellantur. Talia juga formant Alpes; notum porro est Tauri montis jugum in Asia; item Caucasi Montis jugum, quod â Septentrione versus Austrum extenditur; Jugum Chinense; Ju-

ga Arabiæ; in Africa porro celeberrimum & poëtarum ingeniis inclutum est jugum Atlas. Jugum Africæ prope Monomotapam, quod Montes Lunæ constituunt. Juga Norwegiæ & Lappiæ; præterea sunt juga Peruviana omnium longissima, totam enim Americam, inquit Varenius, Australem ab Aequatore usque ad Fretum Magellanicum pervadunt, separantque Peruvianum Regnum ab aliis Provinciis, ita ut tractus hujus jugi sit octingentorum circiter milliarium Germanicorum, quorum quindecim unum gradum facere ponuntur; atque adeo celsa sunt fastigia horum montium, ut ipsos avium Volatus fatigare dicantur, uno duntaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu. Multa ex illis perpetuis teguntur nivibus tam æstate, quam hyeme; multa nubibus involvuntur, quædam ultra mediam aëris regionem elevantur. Sane Hispanis aliquando transeuntibus ex Nicaragua in Peruviam accidit, ut in summis montium interjectorum jugis non pauci subito expirarint cum ipsis equis, & quasi gelu obriguissent, statuarum instar manserint immobiles.

XXXII.

XXXII.

Montes ignivomi sive Vulcani sunt celebres Aetna, Siciliæ Mons, qui sine dubio celeberrimus est, vulgô vocatur Gibel; quantopere certis temporibus sæviat, & jam sævierit, quantopere terras circa se devastet, experientia notum est. Hecla mons in Islandia, qui interdum non minus sævit, quam Aetna, magnos que lapides projicit. Vesuvius sive Vesvius, quem alii Vesebium vel Vesbium appellant, est notissimus mons, qui vulgô dicitur Monte di Soma, in Campania felici; cujus inincendio extinctus fuit naturalis Historiæ Auctor Plinius, cujus casum describit Plinius Junior Libro 6. Epistol. 16. Florus de hoc monte ita habet. Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, &, pulcherrimus omnium Vesuvius Aetnæ imitator. Martialis ita de hoc monte modulatur.

Hic est pampineis viridis modo Vesvius umbris:
Presserat hic madidos nobilis uva lacus.
Hæc juga quam Nysæ colles plus Bacchus amavit:
Hoc nuper Satyri monte dedere Moros.

 Hæc

Hæc Veneris sedes, Lacedæmone gratior illi:
Hic locus Herculeo nomine clarus erat.
Cuncta jacent flammis & tristi mersa favilla:
Nec superi vellent hoc licuisse sibi.

Dion Cassius refert, regnante Vespasiano adeo vehemens fuisse incendium ejus & flammarum impetum, ut cineres ex ejus foco seu penetralibus cum sulphureo fumo projecti non modo Romam vento deferrentur, sed etiam ultra Mediterraneum Mare in Africam usque & Aegyptum; præterea aves in aëre suffocati deciderunt in terram, pisces in fervente & infecta vicina aqua interirent.

XXXIII.

Fodina dicitur locus in terra, ex quo terræ metallicæ & minerales, vel aliæ terræ species effodiuntur. Ita dantur Fodinæ auri, argenti, cupri, Gemmarum; ferri, aliarumque rerum.

XXXIV.

Sylva dicitur arborum multitudo longo & continuo tractu terræ protensa & sine cultura propagata. Derserta autem dicumtur vasti Terræ tractus, qui ab hominibus non coluntur.

Hæc de Divisione Orbis Naturali.

Divi-

DIVISIO ORBIS TERRARUM POLITICA.

JAm supereſt, ut de tertia Orbis Diviſione nonnulla tradamus, quam diximus eſſe Politicam. Non habemus hancce â natura conſtitutam, aut ab ingeniis Mathematicorum fictam; verùm cum ab antiquis jàm retrô ſeculis nos apud homines invaluerit, plerisque gentibus vel neceſſitate vel uſu ſuo probatus, ut ſemper fuerint & adhuc ſint, qui magnis terræ portionibus imperare, ac quibus viciſſim obedire terrarum incolæ conſueſcant, eorum autem imperantium quilibet ſuam terræ partem propriam ſibi vindicare ſoleat, factum eſt, ut inde Imperiorum, Regnorum, Ducatuum Principatuum, Archi-Epiſcopatuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum aliorumque nata fuerint nomina, quibus nunc terræ partes ſunt inſignitæ. Cum verô in hac Orbis diviſione tertia pertractanda Geographorum plurimi aut valde ſint breves, aut eam vix verbo attingant, attamen illa magnum præſtare poſſit uſum, & iis, qui prima vice Geographiam addiſcere conſtituerunt animo, & iis, quorum labor & induſtria in docendis tironibus verſatur;

cum illi summa Geographiæ capita uno quasi intuitu conspicere queant; hi verò summis hisce capitibus ita indictis facile possint in animis discipulorum excitare, rursus & in mentes eorum revocare ea omnia, quæ dicta iis & prolata semel sunt: haud incommodum fore Lectoribus arbitror, si paulo prolixius, quam plerumque fieri solet (si quidem integras Geographiæ pertractationes exceperis) hanc tertiam Orbis divisionem pertractavero. Constitutum ergo est, agere de Divisione Orbis Politica, ita, ut ubique limites simul indicantur; hæc enim pars, non nisi infimæ plebis hominibus, quibus terrarum Orbem asseribus tanquam repagulis occlúsum esse nullo negotio persuaseris, ignota esse debet.

Europa.

EUROPA terminatur ab Oriente Palu Mæotidi, Ponto Euxino atque fluviis Fanai, Wolga, Obyo; à Meridie Mari Mediterraneo, ab Occasu Atlantico, & à Septentrione Germanico alluitur Mari. Quæ autem in Europa consideranda veniunt, sunt sequentia.

I.

I.

Portugallia.

PORTUGALLIÆ REGNUM, quod terminatur ab Oriente Tribus Hispaniæ Provinciis, Legione scilicet, Extremadura & Andalusia; ab Occidente atque Meridie totum Mari Atlantico alluitur; versus Septentrionem tangit Galliciam, Hispaniæ Provinciam. Inlatitudinem non multum patet, verùm â Septentrione versus Meridiem longiore tractu porrectum jacet. Duæ ejus sunt partes, quæ sunt.

I. PORTUGALLIA proprie sic dicta, quæ dividitur in quinque Provincias, quæ sunt.

1. *Extremadura*, s. Estremadura, tangit ab Occasu Mare.
2. *Trans-Tagana*, quam incolæ vocant Alentejo, s. Entre Tajo e Guadiano.
3. *Beira*. ab Occasu alluitur Mari Atlantico.
4. *Interamnensis provincia*, vulgô dicitur, *Entre Minho e Douro*.
5. *Trans-Montana*, s. *Tralos Montes*, habet ab Ortu Legionis Regnum,

ab occaſu Provinciam Interamnenſem, â Septentrione Galliciam.

II. ALGARBIÆ REGNUM, quod ab Occaſu Mari Atlantico, & â Meridie Gaditano alluitur, Andaluſiam ab Ortu habet & â Septentrionê Trans-Taganam.

II.
Hiſpania.

HISPANIÆ REGNUM, quod ab Ortu atque Meridie Mari Mediterraneo alluitur, habet ab Occaſu communes cum Portugallia fines, & præter illos Oceanum quoque in Gallicia & Andaluſiæ parte, â Septentrione Oceanum Cantabricum cum parte Pyrenæorum montium. Dividitur in XIV. Regna minora ſive Provincias, quibus accedunt aliquot Inſulæ. Sunt autem ſequentes ita in ſuas plagas diſtributæ:

I. Provinciarum Hiſpanicarum duæ mediam ſibi vindicant Hiſpaniam, quæ ſunt:

1. *Caſtilla Nova*, Neu-Caſtilien/ veteri Caſtiliæ ſubjacet, & Tago flumine potiſſimum rigatur, habet ab Ortu Valentiam, ab occaſu Extrema-

tremaduram, & a Septentrione Vandalitiæ tractum.

2. *Castilia Vetus*, Alt-Castilien/ quæ ab Occasu Legionem & â Septentrione Biscajam habet, âb Ortu Arragoniam, & â Meridie Novam Castiliam.

II. Occidentem versus sunt tres Provinciæ, quæ omnes Portugalliam ab Occasu tangunt, nimirum.

1. *Legio, Leon*, quæ terminatur â Septentrione Asturia, & ab ortu Castilia Veteri, & rigatur Durio.

2. *Extremadura*, Legioni subjacet, & ab Ortu finitima est Castiliæ Novæ.

3. *Andalusia* s. *Vandalitia*, ad Guadianam fl. Extremaduræ subjacet, & alluitur â Meridie Freto Gaditano, versus Ortum Granatam inter & Castiliam Novam longo tractu ad Murciam usque protensa jacet.

III. Meridiem versus tres sitæ sunt, quæ omnes Mari Mediterraneo â Meridie littora præbent:

1. *Granata*, s. *Granada*, habet a Septentrione Vandalitiam, & ab Ortu Murciam.

2.

2. *Murcia*, ab Oriente Valentiam habet, & ab Occaſu Granatam atque Vandalitiam, â Septentrione Novam Caſtiliam.

